



III, b.



Illustri Academiæ
Gutenbergensis
Bibliothecæ Publicæ

hoc Specimen

offert

Auctor.

1734 d. 1. Maii.


11
Tb. 47.

HENRICI BROKES
I. V. D.
DOCTRINA
IVRIS FEVDALIS
EX IPSIS FONTIBVS
DESVMTA
AC
SVCCINCTIS POSITIONIBVS
AD
HODIERNVM IMPERII VSVM
ACCOMMODATA.



VITEMBERGAE
IMPENSIS ET LITERIS SCHLOMACHIANIS.
M D CC XXXIV,

KOEN. FRIED.
UNIVERS.
ZUHALLE



LECTORI

S. P. D.

AUCTOR.

Negans, fas esse, litteris ita
se abdere, ut nihil ex his ne-
que ad communem afferatur fru-
ctum, neque in aspectum, lucem-
que proferatur, institutum, quo
prima iuris fundamenta succin-
ctis positionibus exhibentur, con-
tinuo. Vides iam libellum, prae-
cepta

) 2

cepta iuris feudalis, maxime
in gratiam Auditorii, exponen-
tem. Plus uice simplici ius
feudale explicui, methodo Coc-
ceii, quam in suis Hypomne-
matibus iuris feudalis sistit, usus.
Sed, uti hic Auctor fere fuit av-
rodidantoc; ita, praeter obscu-
ritatem, passim obuenientem, suis
maxime abundat conceptibus,
qui, cum a communibus iuris be-
neficiarij regulis nonnunquam
recedant, non possunt non for-
mandae antithesi praebere occa-
sionem. Alii naevi in aliis oc-
currunt compendiis. Tuum sit,
Lector humanissime, de hoc, quem
cernis, libello iudicare. Non
succenseas mihi, si passim obuia
retinuerim. Ipse habebis expto-
ratissimum, idem illud circa li-
brum, praelectionibus habendis
inservientem, non aliter fieri pos-
se.

se. Studui tamen, specialia hinc
inde inferere. Commodiori occa-
sione haud deero, speciales iuris
casus excerpere, excerptosque
communicare. Tu modo, Lector
candide, litteris meis faue, ac
me Tibi commendatum habe.

VITEMBERGAE

CALENDIS MARTII

MDCC XXXIV.

NO.

NOMINA GENEROSISSI-
MORVM NOBILISSIMORVMQVE
DOMINORVM COMMILITONVM,
QVI, ME DVCE, HAS IVRIS FEV-
DALIS POSITIONES, INSTITVTO
EXERCITIO DISPVTATORIO,
SOLIDE AC ERVDITE DE-
FENDERVNT.

c13 13 cc xxxiv. d. 1. Febr.

Dn. IOH. HENRICVS Gindfe
Thallwitz Misn.

Cap. I. II. III. de iurisprudencia feudali,
natura ac indole feudi, ac origine
feudi et iuris feudalis.

c13 13 cc xxxiv. d. 6. Febr.

Dn. GOTTL. AVG. GERDESIVS
Vitemb. Sax.

Cap. IV. de diuisione feudi.

c13 13 cc xxxiv. d. 10. Febr.

Dn. IOH. AVG. WILH. SEIDELIVS
Golsen. Lusat.

Cap. V. et VI. de subiecto feudi actiuo
et passiuo.

Dn.

CIO IO CC XXXIV. d. 13. Febr.

Dn. CAR. FRID. de SCHMIDBERG

Eques Magdeburg.

Cap. VII. de nuptiis personarum illustrium.

CIO IO CC XXXIV. d. 17. Febr.

Dn. IOH. ALEX. de SCHMIDBERG

Eques Magdeburg.

Cap. VIII. de tutela feudali.

CIO IO CC XXXIV. d. 20. Febr.

Dn. IOHANNES BROKES

Lubecensis.

Cap. IX. et X. de obiecto feudi et contractu feudali.

CIO IO CC XXXIV. d. 22. Febr.

Dn. GOTTHARDVS BROKES

Lubecensis.

Cap. XI. de traditione feudali.

CIO IO CC XXXIV. d. 24. Febr.

Dn. IO. CHRIST. CAR. SATTLERVS

Hertzberg. Sax.

Cap. XII. XIII. et XIV. de praescriptione feudali, successione pactitia et testamentaria.

CIO

C1515CC XXXIV. d. 27. Febr.

Dn. AVG. GOTTL. KOLLMANNVS
Ileburg. Misn.

Cap. XV. de successione legitima.

C1515CC XXXIV. d. 1. Mart.

Dn. IOHANNES SEBAST. Krenßig
Treb. Sax.

Cap. XVI. et XVII. de forma feudi, et
iuribus domini ac uasalli.

C1515CC XXXIV. d. 3. Mart.

Dn. GODOFREDVS Schmidt
Christianopol. Lufar.

Cap. XVIII. XIX. et XX. de oneribus
feudi, actionibus feudalibus, et iu-
dicio ac processu feudali.

C1515CC XXXIV. d. 6. Mart.

Dn. IOH. FRIDERICVS LVDERVS
Vitemb. Sax.

Cap. XXI. de amissione feudi.





C A P. I.

DE

JVRISPRVDENTIA FEVDALI

I.

Datur Iurisprudencia feudalis.

2. Iurisprudencia feudalis est applicatio iuris feudalis ad facta, circa feudum obuientia.

3. Applicatio fit iudicando, respondendo de iure, postulando, cautelas suggerendo.

4. Ius feudale sumitur uel pro facultate morali, circa feudum competente; uel pro lege.

5. In sensu posteriori ius feudale est uoluntas superioris, inferiores circa feudalia obligans.

6. Hoc (I) est uel scriptum, uel non
A scri-

scriptum; (2) est uel publicum, uel priuatum; (3) est uel uniuersale, uel particulare, uel singulare.

7. Ad uniuersale pertinet ius feudale Longobardicum.

8. Ad particulare ius feudale Saxonicum et Sueuicum refero.

9. Singularis iuris locum occupant leges, quas singulae prouinciae sibi peculiariter constituerunt.

10. Applicationem iuuat interpretatio.

11. Authentica interpretatio locum inuenit.

12. Usualis interpretatio admittitur.

13. Doctrinalis interpretatio, siue sit declaratiua, siue extensiua, 2. f. 54. 2. f. 24. §. 2. siue restrictiua, suos in iure feudali praebet usus.

14. Argumentum a sensu contrario non respicitur. 2. f. 3. §. 1. 2. f. 7.

15. Comoda interpretatio conciliationem diuersorum iuris feudalis capitulum, sibi inuicem contrariorum, intendit.

16. Dantur in iure feudali antinomiae.

17. Hoc non praebet asylum ignorantiae.

18. Inde, si unum capitulum sit ordinarium, alterum extraordinarium, illud huic praefertur.

19. Exemplum 2. f. 9. §. 1. & 2. f. 73. intuitu permissae locationis feudi occurrit.

20. Si utrumque capitulum sit ordinarium, commoda quaeritur conciliatio.

21. Exemplum 2. f. 26. §. filii & 2. f. 29. ratione successione feudalis, liberis, ex matrimonio morganatico natis, denegatae obuenit.

22. Conciliatione frustra quaesita, illi sententiae subscribendum, quae rationi iuris feudalis, uel usui forenti magis conuenit.

23. Solus scripturae ordo non attenditur.

24. In subsidium ius ciuile Romanum consulitur. 2. f. 1.

25. Inde l. 5. §. 2. ff. commod. l. 2. C. de resc. uend. l. 3. C. comm. uer. iud. l. 24. C. de euit. aliaeque leges suam in causis feudilibus praebent utilitatem.

26. In causis tamen non feudalibus ad ius feudale non prouocatur.

27. Inde rusticus, obligationem praestandorum seruitiorum negans, praedium, reiecto, qui 2. f. 26. §. 3. occurrit, textu, non amittit.

28. Praeter ius ciuile Romanum Canonici iuris habetur ratio.

29. Notitia factorum obuientium est summe necessaria.

30. Finis iurisprudentiae feudalis est iustitia.

CAP. II.

DE

NATVRA AC INDOLE FEVDI.

I.

Feudum priscis temporibus audiebat beneficium; 1. f. 1. §. 2. 2. f. 34 §. 2. *Annales Fuldens.* ad a. 851. & a. 881. *fiscus, Eccardus ad L. Salicam p. 106. Marculphus l. 1. form. 2. bonum de munere regio. Marculphus l. 1. form. 12. l. 1. form. 37.*

2. Feudum deriuatur a fide. 2. f. 3. §. 1.

3. Aliorum deriuationes, maxima ex parte otiosae, transeant.

4. Germanica uox, qua feudum *Lehn*, *Lehn-Gut*, *Lehn-Strück* salutatur, deriuatur a uoce *Leihen*.

5. Inde non raro in litteris inuestiturae deprehenduntur uerba: *reichen*, *leihen*.

6. Aliorum deriuationes hic itidem non curo.

7. Addo, germanicam uocem: *Lehn*, generali sensu gaudere, ita, ut non praecise feudum, sed quoduis bonum, ab alio, ceu superiore, uel intuitu iurisdictionis, uel intuitu annuae praestationis, uel intuitu dominii directi dependens, antiquitus denotauerit. *Schilter. exerc. 16. §. 84. Const. El. 39. Part. 2. Eybenius in El. iur. Feud. c. 6. §. 7.*

8. Inde

DE NATURA AC INDOLE FEVDI.

8. Inde qualitatem feudalem probaturus, non satis facit officio, si probet, praedium ein Lehyn fuisse appellatum. *III. Dn. LEYS. Sp. 102. ad ff. m. 5. & 6.*

9. Feudum (1) rem ipsam, in feudum datam, *1. f. 4. 2. f. 8. §. 1.* (2) contractum feudalem, *2. f. 20.* (3) ipsum ius, in re feudali constitutum, *1. f. 25.* denotat.

10. Posterior significatus est huius loci.

11. Inde feudum est concessio domini utilis sub lege fidelitatis.

12. Definitio feudi, quae occurrit *2. f. 23.* omni vitio non caret.

13. Generis locum occupat concessio domini utilis.

14. Sc. dominium est uel plenum, uel minus plenum.

15. Minus plenum dominium est uel directum, das Ober-Eigenthum, Grund-Eigenthum, uel utile, die erbl. Nuzbarkeit, das nuzbare Nieder-Eigenthum.

16. Utile dominium inuoluit ius utendi fruendi cum particula quadam ipsius domini.

17. Iam patet, utile dominium differre ab usufructu.

18. Tale utile dominium, praeter emphyteusin et superficiem, occurrit in feudo.

19. Inde minus recte feudum a multis per usufructum definitur.

20. Differentia specifica in praestatione fidelitatis consistit.

21. En substantialia feudi, quae concessione domini utilis et fidelitate absolvuntur.

22. Haec, salva natura feudi, abesse nequeunt.

23. Tolle dominium utile, non aderit feudum.

24. Tolle fidelitatem, non habebis feudum.

25. Inde pactum, ne praestetur fidelitas, aliud efficit negotium.

26. Praeter substantialia circa feudum occurrunt naturalia; occurrunt accidentalia.

27. Naturalia feudi sunt, quae regulariter feudo insunt, pactis uero, salva essentia feudi, immutari possunt.

28. Huc pertinet iuramenti praestatio, 2. f. 3. §. 1. successio masculorum, 1. f. 8. §. 1. renouatio inuestiturae, 2. f. 24. transmissio feudi ad solos primi acquirentis descendentes, praestatio seruitiorum, 2. f. 27. prohibitio alienationis, 2. f. 55. et alia capita.

29. Naturalia feudi ex lege feudali dependent.

30. Inde praesumuntur.

31. Praesumptionem tollit pactum in contrarium. 1. f. 14. §. 2.

32. Hoc pactum strictissimam recipit interpretationem.

34. In-

33. Inde uno mutato naturali, non statim censetur mutatum alterum.

34. Mutato naturali, feudum manet feudum, sola feudi natura alteratur.

35. Alia enim essentiae ac naturae cuiusdam rei penes Ictos est denominatio, ac est penes Philosophos.

36. Accidentalialia feudi sunt, quae regulariter feudo non insunt, pactis uero adiciuntur.

37. Pertinet huc praestatio seruitiorum insolitorum, 2. f. 2. §. 2. successio foeminarum, 2. f. 6. §. 1. denegatio successionis feudalis, 1. f. 11. et alia capita.

38. Accidentalialia feudi nituntur expressa partium conuentione.

39. Haec est facti.

40. Inde accidentalialia non praesumuntur, sed ab allegante probantur.

41. Accidentalialia naturam feudi uel augent, uel minuunt.

42. Vtroque casu feudum fit improprum.

43. Feudum (1) ab emphytensi, (2) a bonis colonariis, Meyer-Güther, in prouinciis Luneburgicis et Brunswicensibus usu receptis, (3) a superficie, (4) a censu, (5) a contractu libellario, (6) a bonis solidorum, Schilling-Güther, Schilling-hauer, (7) a precaria differt.

44. Opponitur feudo allodium, Cibe.
2. f. 6. §. 1.

45. Allodium comprehendit omnia bona, quae non sunt feudalia.

46. In dubio bona praesumuntur allodialia, non feudalia.

47. Inde, lite super qualitate feudali mota, heredes allodiales possessionem capiunt, donec feudalis qualitas sit probata.
2. f. 26. §. 1. Dec. Saxon. Nouiff. 37.

48. Extendo praesumptionem qualitatis allodialis, etiamsi inter personas illustres agatur.

49. Extendo, licet pleraque praedia in illo, de quo sermo est, territorio sint feudalia.

50. Extendo, licet quis praedium, ut feudum, possideat.

51. Praesumptio, quae pro allodio militat, probationem in contrarium admittit.

52. Sola inuestitura non inducit probationem qualitatis feudalis.

CAP. III.

DE

ORIGINE FEVDI ET IVRIS FEVDALIS.

I.

Perspecta feudi natura ac indole, facillimum erit, de origine feudi iudicare.

2. Feu-

2. Feudum, materialiter, non formaliter, consideratum, est ipsius Iuris Naturalis.

3. Origo feudorum ex sacris litteris non petitur.

4. Loca, ex *Genes. XIV. 4.* et *II. Paralipom. XXXVI. 13.* desumpta, feudorum indolem non inuoluunt.

5. Simulacra feudorum in iure ciuili Romano occurrunt. *l. 11. § 1. ff. de iuct. l. 15. §. 2. ff. de rei uind. Nov. 53. c. 5. Nou. 97. c. 4.*

6. Inprimis fundi limitanei huc pertinent. *l. 1. c. de fund. limitopbis.*

7. Formale tamen feudum ex allegatis locis nondum exsculpitur.

8. Vera formalis feudi origo Francis adscribenda uidetur.

9. Omnium primum Reges Francorum terras, Marte occupatas, sub nexu feudali aliis concesserunt.

10. Testatur de Clodouaeo circa a. 491. Aimonius *l. 1. c. 14.*

11. Testatur de Sigeberto Gregorius Turonensis *Hist. Franc. l. 4. c. 45. Conf. idem l. 10. c. 19.*

12. Temporibus Pipini et Caroli M. feuda magis innotuerunt. *Annales Loiseliani ad a. 748. Capitul. Compendiense, ann. 757. c. 6. Monachus S. Galli de Ecclesiastica cura Caroli M. c. 32. Charta diuisionis Caroli M. §. 4.*

A 5

13. Fran-

13. Francos exceperunt Gothi. *Procop. Histor. Goth. l. 1. sub. init. Cassiodor. l. 12.*

14. Accesserunt Burgundiones, *Leg. Burgund. tit. 1. §. 3. et 4. pariter ac Longobardi. Conf. Paulus Warnefridus de rebus Longobardicis.*

15. Imperii feuda, extincta gente Carolingorum, sub Conrado I. coeperunt.

16. Ante Conradum principes terras suas non hereditario, sed administratorio iure tenebant. *Cocceius in Iur. Publ. c. 15. sect. 3. §. 47. Struu. vom Veränderung des Deutschen Reichs. §. 27.*

17. Introductis feudis, iura feudalia discernebantur.

18. Horum origo Francis, primis feudorum inuentoribus, debetur.

19. Pertinet huc constitutio Pipini, *c. V. in Capitul. Compendiense. de a. 757. apud Baluzium Tom. I. p. 182. constitutio Caroli M. cap. V. de a. 806. Cap. II. de a. 812. apud Baluzium Tom. I. p. 494. constitutio Ludouici Pii de agris desertis cap. IV. de a. 860. apud Baluzium Tom. I. p. 621. c. 3. constitutio Lotharii; 1. f. 19. Sigon. de regno Italiae libr. IV. aliorumque.*

20. Longobardi, praeter ius scriptum, maxime consuetudinibus feudalibus utebantur.

21. Haec priuata auctoritate sunt collectae.

22. Au-

22. Auctor compilationis est incertus.

23. Apodictica, quae Gerhardum Nigrum et Obertum de Orto auctores arguerent, desunt argumenta.

24. Locus, ex Odofredo, ueteri Glossatore, ad *Aub. Cassa C. de SS. eccles.* desumptus, non mouet, ut Hugolinus pro auctore compilationis habeatur.

25. Compilatio post annum Chr. 1154. contigit. *arg. 2. f. 33. §. 1. Sigon. de regn. Italiae l. 12. ad a. 1154.*

26. Inde ius feudale Longobardicum.

27. Hoc ius maxima ex parte consuetudine feudali nititur. *2. f. 7. 2. f. 9. pr. rubr. 2. f. 28.*

28. Inde illud audit ius non scriptum.

29. Praeter consuetudines feudales occurrunt in eodem iure Constitutiones imperatoriae.

30. Huc pertinet constitutio Lotharii I. *1. f. 19.* Henrici II. *V. f. 2.* Conradi II. *1. f. 1. 2. f. 34. et 40.* Henrici III. *2. f. 57.* Lotharii III. *2. f. 52.* Friderici I. *2. f. 53. et 56.*

31. Ratione harum constitutionum ius feudale Longobardicum ex parte dici poterit ius scriptum.

32. Occurrunt in eodem res iudicatae ac responsa prudentum. *1. f. 27. 2. f. 25. 2. f. 28 pr.*

33. Occurrunt in eodem principia iuris civilis, *2. f. 33. et Canonici 1. f. 6.*

32. Dan-

34. Dantur in iure feudali Longobardico extraordinaria capitula.

35. Haec sunt fragmenta quaedam, ex Ardizone et Iacobo Aluarotto restituta.

36. Eadem prioribus libris non statim, sed ex postfacto demum citra usualement approbationem sunt adiecta.

37. Quid? quod Accursius eadem in Corpus glossatum non retulerit.

38. Inde exigua horum est auctoritas.

39. In casibus tamen, alibi non determinatis, extraordinaria capitula attenduntur.

40. Ne dicam, eadem explicationi iuris feudalis inseruire.

41. Incipiunt extraordinaria capitula a 2. f. 73.

42. Accesserunt constitutiones Friderici II. Extrauagantes, ac liber de Pace Constantiae.

43. Absoluitur ius feudale duobus potissimum libris.

44. Hugolinus, Ictus Bononiensis, sub Friderico II. idem ius Corpori Iuris Ciuilis priuata auctoritate adiecit. *Odofred. Comment. in Cod. ad Aub. Cassa de SS. eccles.*

45. Antonius Mericutius de Prato Veteri librum feudorum sub Sigismundo priuata auctoritate circa a. Chr. 1428. emendauit, emendatumque plus uice simplici typis imprimendum curauit. *Guido Pancivollus Thes. Var. lect. l. 1. c. 90.*

46. Suc-

46. Successu temporis liber iste latuit.

47. Tandem Schilterus eundem, in Bibliotheca Regia Parisiensi repertum, circa a. Chr. 1614. cum erudito orbe communicauit.

48. Communicatus in exiguo pretio habetur.

49. Taceo Bulgari, Iacobi Columbini, Bartholomaei Baraterii, Iacobi Cuiacii, aliorumque circa ius feudale operas. *Conf. Guid. Pancirolli thes. Var. Lect. l. 1. c. 90.*

50. Iure feudali Longobardico Corpori Iuris Ciuilibus adiecto, doctores Itali illud, perinde ac Ius Ciuile, in suis scholis exposuerunt.

51. Iuuentus Germanica, in Italiam missa, praeter ius Ciuile, ius feudale Longobardicum addiscebat.

52. Reuersa edoctum ius feudale in foro applicabat.

53. Erectis Sec. XIV. in Germania Academiae, *Lehmann. Chron. Spirens. l. 7. c.*

38 creuit iuris feudalis Longobardici usus.

54. Doctores iuris publici ex Italia petebantur.

55. Hi ius feudale Longobardicum una cum Romano exponebant. *Conradus Sincerus in diss. epistolica de Germanarum legum ueterum ac Romani iuris in rep. nostra origine, auctoritateque praesente. §. 40.*

56. Ac-

56. Accessit tacitus summorum imperantium consensus.

57. Hic ex frequenti iuris Longobardici allegatione, in LL. Imperii fundamentalibus facta, colligitur.

58. Documenta huius rei produnt *Rec. Imper. de a. 1567. §. und nachdem, Capit. Leopold. art. 4. et 39. O. Cam. P. 1. tit. 13. §. 1.*

59. Inde factum, ut ius feudale Longobardicum in Germania tacite sit receptum.

60. Receptio illa est subsidiaria.

61. Inde receptio iuris Longobardici non sustulit ea iura, quae Germani iam ante illius receptionem habuerunt.

62. Haec potius iuri Longobardico praeferuntur.

63. Receptio totum ius feudale concernit.

64. Inde hoc uel illud iuris Longobardici caput allegans, usum ipsius capituli probare non est obstrictus.

65. Errat Thomasius, qui in *Selectis Capitibus Histor. Iur. Feud. §. 70.* exiguum et fere nullum iuris Longobardici usum admittit.

66. Receptio ista parit intuitu subditorum legalem obligationem.

67. Haec omnes stringit, siue sint laici, siue clerici. *2. f. 14. §. 1. c. 6. X. de for. com. pet.*

pet. c. 5. X. de iudiciis. Add. die Sächfische Kirchen-Ordnung iii. vom Freiheit der Kirchen-Güther.

68. Nec interest, an ius Longobardicum meram consuetudinem feudalem, an uero constitutionem Caesaream concernat.

69. Nullum est dubium, quin ius Longobardicum uel a toto Imperio, uel a singulis Imperii Statibus abrogari, aut immutari possit.

70. Ipsi Germani sua sibi constituerunt iura feudalia.

71. Exstant uariae Germanorum Imperatorum constitutiones feudales.

72. Exstat constitutio de Pace tenenda.

73. Exstat liber Auctoris Veteris de Beneficiis, a Christiano Thomasio ex bibliotheca Eybeniana editus.

74. In primis notari meretur ius feudale Alemannicum et Saxonium.

75. Illud ad Sueuos pertinet.

76. Auctor illius est incertus.

77. Codices manuscripti Carolum M. per rubricam: *hie hebt sich an Kayser-Karl-Lehns-Recht-Buch*, auctorem agnoscunt.

78. Goldastus auctorem illius Bertoldum quendam de Grimmenstein facit.

79. Tempus compilationis est incertum.

80. Io. Schilterus ius feudale Alemannicum, eruditis annotationibus illustratum, Argentorati 1697. edidit.

31. Saxo-

81. Saxonicum ad Saxones pertinet.
 82. Olim hoc ius totum Vicariatum Saxonicum respiciebat.
 83. Auctor illius est incertus.
 84. Alii Friderico Barbarossae; alii Friderico II.; alii Epkoni a Repkou hunc librum adscribunt. *conf. gloss. des Landrechts l. 1. art. 14. l. 1. art. 26.*
 85. Tempus compilationis est incertum.
 86. Prodiit hoc ius partim cum, partim sine glossa.
 87. Alteram editionem Christophoro Zobelio; alteram Iohanni Schiltero debemus.
 88. A iure feudali Saxonico differt ius feudale Saxonicum Electorale.
 89. Hoc ad terras Electorales et Ducales Albertinae lineae pertinet.
 90. Inde illud ius feudale commune; hoc Electorale audit.
 91. In sensu latiori ius feudale Longobardicum audit ius commune.

CAP. IV.

DE

DIVISIONE FEVDI.

I.

Fendum est uel proprium, uel impropri-
um.

2. Proprium seruat communem feudi-
naturam.

3. Im-

3. Improprum recedit a communi feudi natura.
4. Hoc fit pactis contrahentium.
5. Inde praesumitur feudum proprium, non improprum. 2. f. 2. §. 2.
6. Extendo, licet omnia fere praedia circumiacentia sint impropra.
7. Restringo, si generali lege feuda cuiusdam prouinciae sint impropra.
8. Ex feudo proprio fit improprum, et ex improprio fit proprium.
9. Vnum feudum est magis improprum, ac alterum.
10. Inde unum feudum pro diuersa qualitate dici poterit et proprium et improprum.
11. Feudum proprium variis diuiditur modis.
12. Est (1) uel antiquum, uel nouum.
13. Antiquum est, cuius possessor est primi acquirentis descendens.
14. Nouum est, cuius possessor est primus acquirens.
15. Maximus est huius diuisionis et intuitu successionis, et intuitu alienationis, et intuitu amissionis feudi usus.
16. Diuifio, qua feudum antiquum in paternum et antiquum, in specie tale, dispescunt, omni destituitur usu.
17. Non raro feudum nouum iure antiqui,

B

tiqui,

tiqui, nach Art und Eigenschaft eines alten Stamm-Lehns, conceditur. 2. f. 12. 2. f. 18.

18. Hoc casu feudum internam quidem feudi noui qualitatem retinet; iura tamen feudi antiqui induit.

19. Inde collaterales usque ad infinitum in hoc succedunt.

20. Inde alienatio feudi, si collaterales pactis interfuerint, iusque succedendi acceptauerint, citra horum consensum non permittitur.

21. En fundamentum distinctionis, qua feudum antiquum in feudum natura, et in feudum ex pacto antiquum diuidunt.

22. Feudum antiquum iure noui in praedictum agnatorum non conceditur.

23. Feudum, ex pretio ueteris emtum, non est antiquum, sed nouum.

24. Feudum permutatum fit nouum.

25. Feudum, quod filius, hereditate paterna abstinens, consensu domini et agnatorum capit, intuitu uasalli fit nouum; intuitu agnatorum manet antiquum. 2. f. 45. 2. f. 49.

26. Simplex agnati consensus, qui renunciationem praesentis, non futuri iuris succedendi, inuoluit, agnato non obest.

27. Secus est, si agnati expresse consentiant ea lege, ut filius tanquam de feudo nouo inuestiatur. 2. f. 49.

29. Feu-

28. Feudum, consensu agnatorum in agnatum translatum, manet antiquum; translatum in extraneum fit nouum. *l. f. 5. §. 1.*

29. Feudum, ea intentione refutatum, ut filius eodem inuestiatur, manet antiquum. *2. f. 14.*

30. Feudum, ob feloniam amissum, et restitutum, intuitu recipientis fit nouum, intuitu agnatorum manet antiquum.

31. Nouum accessorium non immutat qualitatem feudi antiqui.

32. Feudum neque nouum, neque antiquum praesamitur.

33. Inde alterutrum alleganti incumbit probatio.

34. Leges feudales hac in re sibi ipsis non constant. *Conf. l. f. 12. 2. f. 33. 2. f. 11. 2. f. 15. 2. f. 26. pr.*

35. Possessio nihil praesidii affert. *l. f. 12.*

36. Neque actore, neque reo possidente, neuter durante lite in possessionem est mittendus.

37. Feudum proprium (2) est uel ecclesiasticum, uel seculare.

38. Illud in re ecclesiastica; hoc in re seculari constituitur.

39. Iam patet, non personae conferentis, neque accipientis, sed solius obiecti rationem esse habendam.

40. Inde clericus feudum seculare, et laicus feudum ecclesiasticum constituit.

41. Inde feuda, ab Imperatore et Imperio ecclesiis ex bonis Imperii data, sunt secularia.

42. Feudum ecclesiasticum uocatur apud Germanos ein frumstäbisch Lehn.

43. Denominatio ista ab incuruato Episcoporum baculo, quo inuestire solent, originem trahit.

44. Incuruatus baculus, pastorali baculo similis, est signum pastoralis, quod Episcopi gerunt, officii.

45. E contrario Pontifex, DEI uices in terris sibi tribuens, occasione uerborum: Gott, das Scepter deines Reichs ist ein gerades Scepter, Ps. XLV. 7. occurrentium, erectum sibi asserit baculum. *Böhmer Jur. eccl. l. 3. tit. 20. §. 24.*

46. Velim conferas Strauchii Amoenitates *Jur. Canon. semestr. alter. Eclog. 7. c. 8. n. 19.*

47. Feudum ecclesiasticum pacto alterari non potest, nisi melior fiat conditio ecclesiae; bene tamen feudum seculare.

48. Lis, intuitu feudi ecclesiastici mota, coram foro ecclesiastico uentilatur, etiam si uasallus sit seularis, et principali dignitate ornatus. *c. 7. X. de for. comp.*

49. E contrario lis, intuitu feudi secularis

laris mora, coram foro seculari uentilatur, etiamsi uasallus sit clericus. *c. 6. X. de for. compet.*

50. Errant, qui ex falso principio: *Krumstab* schleust Niemand aus, foeminarum successionem in feudo ecclesiastico statuunt.

51. A feudo ecclesiastico differt (1) das *Psarr-Lehn*, *Kirchen-Lehn*, *Altar-Lehn*, (2) feudum ecclesiasticum, intuitu dignitatis tale.

52. Feudum proprium (3) est uel nobile, *Ritter-Lehn*, uel ignobile, *Bürger-Lehn*. *2. f. 10.*

53. Illud iura nobilitatis confert; hoc non aequat.

54. Iura nobilitatis sunt uel realia, uel personalia.

55. Realia praediis realiter cohaerent.

56. Inde immunitas a uectigalibus, a metatis, a praestationibus paganis, *der freie Tisch-Trunk* &c.

57. Personalia personae cohaerent.

58. Inde omissio proclamationis e suggestu, beneficium competentiae, uotum accessio in comitiis nobilium etc.

59. Nobile feudum sola realia nobilitatis iura transfert.

60. Personalia nobilitatis iura a feudo nobili remouentur, nisi uoluntas nobilitand

ab eo, qui ius nobilitandi habet, exprimat.

61. Iam patet, circa feudum nobile ac ignobile non personae, sed qualitatis obiecti rationem esse habendam.

62. Inde nobilis feudum ignobile possidere potest.

63. Onera tamen, feudo plebeio annexa, non declinantur.

64. Multo minus ea subditis imponere licet.

65. In Saxon. El. nobilis feuda rustica, in praefecturis sita, uel ea bona, so von denen vom Adel zu Lehn gehen, aber in Churfürstl. Amts-Gerichten gelegen, Sr. Churfürstl. Durchl. auch mit Diensten, Steuern u. Folge zugethan, non acquirit. *Conf. Mand. Elect. D. 10. Georg. 1. die 25. April. 1623. emissum.*

66. Simili ratione ignobilis feudum nobile possidere potest.

67. Nobile feudum est uel regale, uel non regale. *l. f. 14.*

68. Regale praeter nobilitatem ius exercendi regalia confert.

69. Dignitas regalis non semper confertur.

70. Docent hoc illi, qui die Inhaber der Fürstenthümer, Graffschaften, oder Herrschaften nominantur.

71. Feu-

71. Feuda tamen regalia ecclesiastica personalem dignitatem in dubio simul praeseferunt.

72. Idem praestant in Saxonia feuda regalia secularia. *Lehn-Recht art. 21.*

73. Non regale feudum solam nobilitatem absque iure exercendi regalia confert.

74. Regale summam potestatem, non regale tantum, quantum dominus uult, tribuit.

75. Illud est individuum; hoc non aequae. *2. f. 55. §. 1.*

76. Circa hoc princeps, circa illud pares curiae cognoscunt. *1. f. 18. pr. 2. f. 34. pr.*

77. Feudum regale est uel ecclesiasticum, uel seculare.

78. Illud praeter nobilitatem et ius exercendi regalia dignitatem ecclesiasticam tribuit.

79. Pertinent huc Patriarchatus, Archiepiscopatus, Episcopatus, Abbatia.

80. Hoc praeter nobilitatem et ius exercendi regalia dignitatem secularem concedit.

81. Spectant huc Electoratus, Archiducatus, Principatus, Ducatus, Comitatus, Baronatus.

82. Baronatus, die freie Herrschaften, a bonis equestribus, denen adelichen und Ritter-Güthern distinguuntur.

83. Inde onus praediis equestribus, denent Ritter-Güthern, impositum, ad baronatus; die freien Herrschafften, non pertinet.

84. Olim inuestitura feudi ecclesiastici scepro; secularis uexillo fiebat. *Sächsisches Land-N. 1. 3. art. 60.*

85. Inde feudum ecclesiasticum Scepter-Lehn; seculare Fahnen-Lehn audit.

86. Inde feuda secularia non raro dicuntur Vexilliferatus Imperii. *Obrecht. de uexill. Imper. c. 4. p. 24.*

87. Hodie inuestitura utriusque feudi gladio peragitur.

88. Feudum ecclesiasticum electionis iure; seculare hereditario iure obtinetur.

89. Feudum proprium (4) est uel ligium, uel non ligium. *2. f. 99.*

90. Illud est, quod fidem uni soli contra omnes debet.

91. Hoc est, quod fidem non uni, sed aliis etiam debet.

92. Sc. uasallus dominum suum regulariter contra quosuis defendit.

93. Excipitur dominus superior, antiquior, ac ordinarius uasalli magistratus.

94. Iam patet, ligium uasallum esse solius domini, superiorem non agnoscentis.

95. Elucescit, non dari ligium duorum dominorum uasallum.

96. Apparet, uasallum ligium subditum simul esse debere.

97. In

97 In Imperio Imperator secundum leges Longobardicas nominatim, 2. f. 55. §. 2; iusu fori tacite excipitur.

98 Inde fluit, Imperatorem feuda ligia concedere posse; non Status Imperii.

99. Qui feuda ligia Statibus Imperii adiu- dicant, eadem in feuda ligia absolute talia, et secundum quid talia diuidunt.

100. Feudum proprium (5) est uel in curte, uel extra curtem.

101. Curtis denotat curiam. 2. f. 51. pr.

102. Inde feudum in curte est, quod est in loco, in quo dominus curiam habet.

103 Feudum extra curtem est, quod est in loco, in quo dominus curiam non habet.

104. Pespicias, a me non dissentire, qui feudum in curte, quod in territorio domini; feudum extra curtem, quod extra domini territoriumprehenditur, nominant.

105 Dantur feuda, extra territorium do- mini sita.

106. Feudum proprium (6) est uel imme- diatum, uel mediatum.

107. Illud a domino supremo; hoc ab intermedio dependet.

108. In Imperio feuda, immediate Cae- sari, qua tali, subiecta, sunt immediata; feu- da, Statui cuidam Imperii subiecta, sunt mediata.

109. Mediata sunt uel Schriftsässica, uel Amtsässica.

110. Illa principi, eiusque summis iudiciis; haec praefecturis subsunt.

111. Amtsfasica sunt uel *Cansley-Vehn*, uel *Umts-Vehn*.

112. Illa a principe, eiusque summis collegiis; haec a praefecturis conceduntur.

113. Modi, quibus naturalia feudi mutantur, sunt infiniti.

114. Inde species feudorum improprium sunt infinitae.

115. Paucas recensere, satis erit.

116. Improprium feudum est feudum foemininum, *Weiber-Vehn*, *Kunckel-Vehn*.

117. Hoc est, quod foemina primum acquirit. 2. f. 30.

118. Inde solius personae acquirentis, non concedentis, ratio habetur.

119. Effectus huius feudi est, ut foeminae, deficientibus masculis, in subsidium succedant. 2. f. 30.

120. Feudo foeminino opponitur feudum masculinum, ceu proprium.

121. Hoc est, quod masculus primum acquirit.

122. In hoc soli masculi succedunt.

123. Feudum, a masculo ea lege acquisitum, ut in eo foeminae succedant, intuitu originis est masculinum, intuitu effectus est foemininum.

124. Feudum, a foemina ea lege acquisitum

tum, ut in eo soli masculi succedant, ratione originis est foemininum; ratione effectus est masculinum.

125. Non errabo, si illud feudum masculinum, iure foeminini concessum; hoc foemininum, iure masculini concessum, nomine.

126. Feudum, pro se et heredibus concessum, est masculinum.

127. Datur feudum mixtum, seu tale, quod masculus et foemina simul primum acquirit. 2. f. 85.

128. In hoc successio quoad masculum defunctum fit iuxta naturam feudi masculini; quoad foeminam defunctam fit iuxta indolem feudi foeminini.

129. Ipsi simul inuestiti sibi inuicem non succedunt. 2. f. 85.

130. In dubio praesumitur feudum masculinum, non foemininum.

131. Improprium feudum est feudum oblatum.

132. Hoc est, quod, citra nexum feudalem possessum, ea lege traditur, ut sub nexu feudali restituatur.

133. Non infirma huius feudi causa fuit antiqua diffidatio.

134. Oblatio feudi ualet, dummodo non fiat in tertii praeiudicium.

135. Inde rem, fideicommissio oneratam, in feudum offerre non licet.

135. Feu-

136. Feudo oblato opponitur feudum datum, ceu proprium.

137. Hoc est, quod in re, ad uasallum nullo iure pertinente, consistit.

138. In dubio praesumitur feudum datum, non oblatum.

139. Improprrium feudum est feudum hereditarium, Erb-Lehn-Guth.

140. Varius circa hoc determinandum est interpretum dissensus. *Conf. Torgauisches Ausschreiben tit. welchergestalt die Agnaten §. so werden wir doch et §. sonderlich aber.*

141. Iudico, feudum hereditarium esse, in quo a naturali successionis feudalis ordine passim receditur.

142. Hoc fit pactis contrahentium.

143. Eadem uarie tam intuitu personarum succedentium, quam intuitu modi succedendi determinantur.

144. Inde uariae dantur feudi hereditarii species.

145. Imo feudum hereditarium suos recipit gradus.

146. Quodsi a regulari successionis feudalis ordine in totum recedatur, adest feudum mere hereditarium.

147. Caue tamen, ne feudum hereditarium cum re allodiali confundas.

148. Remanent substantialia feudi.

149. Quid? quod mutato naturali circa successionem, reliqua feudi naturalia non mutantur.

150. In-

150. Inde aliud est concedere feudum hereditarium, ein Erb = Lehn verleihen; aliud concedere rem allodiam, ein Gut vererben.

151. Aliud est, ex feudo proprio facere hereditarium, ein rechtes Mann-Lehn zum Erb-Lehn machen; aliud transmutare feudum in allodium, das Lehn in Erbe verwandeln.

152. Feudo hereditario opponitur feudum ex pacto et providentia, ceu proprium, Stamm-Lehn.

153. Dicitur ita, quoniam ex pacto contrahentium et providentia legum feudaliū descendit.

154. Hoc regularem successionis feudalis ordinem retinet.

155. Feudum, pro se et heredibus: vor sich und seine Erben; vor sich und seine Leibes-Erben, datum, est feudum ex pacto et providentia.

156. Idem sentio de feudo, pro se et liberis, uel pro se et posteris dato.

157. Feudum, pro se et heredibus quibuscunque, vor sich und alle seine Erben; vor sich, alle seine Erben und Erbnehmen, datum est feudum hereditarium.

158. Haec

159. Haec formula comprehendit foeminas.

160. Minus dubii residet, si uerba: ohne Unterscheid, adiciantur, uel, si foeminae simul exprimantur.

161. Non raro lites circa terminos ac formulas occurrunt.

162. Inde optimum est, ut omnia latissime in tabulis exprimantur.

163. Expediret, si in curiis feudalibus certae formulae reciperentur, quibus unum alterumque legaliter exprimeretur.

164. In dubio praesumitur feudum ex pacto et prouidentia, non feudum hereditarium.

165. Improprium feudum est feudum emptum. *l. f. 27.*

166. Multo magis improprium est, si pactum de retrouendendo adiciatur.

167. Improprium feudum est feudum pignoratitium, Pfand-Lehn.

168. Hoc est, quod dominus, ceu debitor, creditori in securitatem debiti sub nexu feudali concedit.

169. Occurrunt tria negotia, (1) obligatio, qua dominus fit debitor, ualallus creditor; (2) constitutio pignoris; (3) nexus feudalis.

170. Inde patet, non solum ius pignoris, sed et dominium utile transferri.

171. Feu-

171. Feudum pignoratitium ad foeminas
haud transit.

172. Soluto debito, nexus feudalis soluitur.

173. Reluctio quodocunque fieri potest.

174. A feudo pignoratitio differt oppignoratum feudum.

175. Hoc est, quod uasallus, consensu domini et agnatorum, propter debitum oppignorat.

176. Ius reale hic non est feudale, sed allodiale.

177. Improprium feudum est feudum iniuratum.

178. Hoc fidem quidem, non uero iuramentum, desiderat.

179. Improprium feudum est feudum, in re mobili consistens.

180. Pertinet huc feudum pecuniarium.

181. Hoc est, si pecunia in feudum detur.

182. Thomafius in *Orig. feud. p. 6.* existentiam huius feudi citra solidam rationem indubium uocat.

183. Pecunia in feudum datur, si dominus uasallo pecuniam sub nexu feudali tradat, uel, si dominus, pecuniam tertio sub usuris credens, uasallo reditus praestet; uel, si dominus, pecuniam retinens, usuras uasallo soluat, uel, si pecunia domino a uasallo ea lege offeratur, ut haec sub nexu feudali restituatur.

184. Pecunia

184. Pecunia, in feudum data, audit ein Lehne Stamm.

185. Haec qualitatem feudalem induit.

186. Pecunia, ex feudo redacta, non est feudalis, sed allodialis. 2. f. 26. §. si uasallus.

187. Pactum, eo tendens, ut pecunia, ex feudo redacta, pro feudali habeatur, constituit pactitium fideicommissum familiae.

188. Pecunia, feudorum emtioni destinata, non est feudalis.

189. Pactum, eo tendens, ut pecunia, ex feudo redacta, in feudum conuertatur, pecuniam non reddit feudalem.

190. Improprium feudum est feudum francum, Frey-Lehn, Frey-Ritter-Lehn, Frey-Guth.

191. Hoc immunitatem ab omnibus seruitiis praestat.

192. Eo ipso fides non excluditur.

193. Omissio seruitiorum, in litteris inuestiturae facta, non inducit feudum francum.

194. Remissio quorundam seruitiorum non inuoluit feudum francum.

195. Determinatio certorum seruitiorum non producit feudum francum.

196. Feudum francum non admittit foeminarum successionem.

197. Libera circa feudum francum dispositio non permittitur.

198. Tho-

198. Thomasius existentiam feudi franci absque ratione in *Orig. feud. p. 8.* negat.

199. A feudo franco differt (1) feudum, iure Francorum concessum, (2) die Satz-
sel-freye Güter.

200. Improprium feudum est feudum conditionatum, *Setz-Lehn.*

201. Hoc praestationem certorum seruitiorum intendit.

202. Expressio certorum seruitiorum sit restrictiua.

203. Pertinet huc feudum castrense, quo uasallus certum castrum defendere tenetur.

204. Pertinet huc feudum aperturae, quod ius aperturae tam belli, quam pacis tempore debet.

205. Pertinet huc feudum aduocatae, pro defensione ecclesiae, ciuitatis, aut alius rei datum.

206. Pertinent huc omnia feuda, pro certis officiis aulicis gerendis concessa, *Hoff-Lehne.*

207. Inde officiales hereditarii.

208. Improprium feudum est feudum censuale, *Zins-Lehn.*

209. Hoc loco seruitiorum censum praestat.

210. Pertinent huc die *Schock-Lehne.*

211. Improprium feudum est feudum laudemiale.

C

212.

212. Hoc loco feruitiorum laudemium praestat.

213. Improprium feudum est feudum quaternatum.

214. Hoc loco feruitiorum fructus pro mensa domini exhibet.

215. Improprium feudum est feudum Soldatae. 2. f. 10.

216. Hoc est concessio certae pecuniae, uel certorum fructuum sub lege fidelitatis.

217. Pertinet huc feudum de Camera Cammer-*Lehn*, et de cauena, *Rüchen- oder Keller-*Lehn**. 2. f. 58.

218. Improprium feudum est feudum habitationis. 2. f. 105.

219. Hoc est concessio iuris habitandi sub lege fidelitatis.

220. Taceo reliquas feudorum impropiorum species.

221. Addo, feudum solare, *Sonnen-*Lehn**, non esse feudum, sed allodium.

222. Singulare exemplum recognitionis uersus solem factae, intuitu Dynastiae *Werb-*bergensis**, quae hodie *Sereniss. Duci Brun-*swicensium** paret, allegatur a *Schoppio de allodi-*c. 1.** et *Eybenio in addit. ad Eriſchii diff. de feudi-*do solari S. 6.**

C A P. V.

DE

SVBIECTO FEVDI ACTIVO.

I.

IS, qui feudum concedit, audit dominus,
1. f. 10. senior, 1. f. 17. patronus, germanice Herr, Lehn-Herr.

2. Datio feudi est species alienationis.

3. Inde feudum concedit, qui libere alienat.

4. Non interest, an concedens personam publicam, an priuatam sustineat.

5. Imperator sua ipsius bona aliis in feudum dare potest.

6. Electoratum uacantem Caesar citra consensum Electorum non confert. Capit. Carol. V. art. 9. et Leopold. art. 12. *Schvveder Jur. Publ. part. spec. sect. 1. c. 23. §. 9.*

7. Cessat ista collatio quoad Electoratus ecclesiasticos, Regnum Bohemiae et Electoratum Bauariae. *Anr. Bull. III. 7. §. 5. Instrum. Pac. VVestph. art. 2. §. 3.*

8. Reliqua Imperii feuda maiora, si fiant aperta, olim de nouo conferri non debent.

9. Hoc a tempore Caroli V. in uariis Capitulationibus constitutum deprehendes.

10. Recentiores Capitulationes collationem

C 2

nem

nem feudorum maiorum permittunt. *Cap. Ferd. IV. art. 30. Leopold. art. 30. Jos. pb. art. 29.*

11. Haec ita, si consensus Electorum adsit. *l. c. Schwed. Tur. publ. sect. 1. c. 23. S. 10. Auct. der Grund-Beste part. 3. c. 3.*

12. Quid? quod per Capitulationem inuictissimi Imperatoris CAROLI VI. *art. 11.* praeter consensum Electorum intuitu Ducatus, Principatus, etc. consensus collegii Principum; intuitu ciuitatis Imperialis consensus collegii ciuitatum requiratur.

13. Concessio feudi uacantis fiat iisdem conditionibus. *l. c.*

14. Expectatiuae, olim concessae, ualentis nouae improbantur. *l. c.*

15. Minora Imperii feuda Imperator libere citra consensum Statuam confert.

16. Rex Romanorum, sede uacante, eodem modo, quo Imperator, feuda Imperii concedit. *Limn. ad A. B. c. 1. S. 2. obs. 5.*

17. Vicarii Imperii regalia Imperii bona in feudum dare non possunt. *Aur. Bull. c. 5. S. 1.*

18. Eo ipso Vicariis ius de causis feudalibus iudicandi non adimitur.

19. Omnes Imperii Status feuda concedunt.

20. Nobiles, siue sint immediati, siue mediati; eadem facultate gaudent.

21. Clericus sua ipsius bona, citra beneficium

cium restitutionis in integrum, libere sub
nexu feudali tradit. 2. f. 35.

22. Monachus feudum non concedit. *Nou.
J. c. 5. Aub. ingresi C. de SS. eccles.*

23. Pontifex ius bona omnium ecclesia-
rum in feudum dandi sibi asserit. *c. 2. de
sent. et re iudic. in 610. c. 2. de praebend. in 610.*

24. Praelatus res ecclesiae, iam olim ab an-
tecessoribus in feudum datas, iisdem con-
ditionibus citra consensum capituli sub nexu
feudali tradit. *c. 2. X. de feud.*

25. Non obstant, quae ex 1. f. 6. allegan-
tur.

26. Res ecclesiae, nondum in feudum
datae, a praelato nexui feudali non, nisi prae-
uio capituli consensu, subiiciuntur.

27. Pontifex ac Praelati, feudum conce-
furi, plerumque rationem cognatorum su-
orum habere solent.

28. Inde Nepotismus.

29. Innocentius XI. hunc Nepotismum
publice est detestatus.

30. Reuocauit illius usum Alexander
VIII.

31. Innocentius XII. iterata uice illum
abrogauit.

32. Abrogatum Clemens XI. de nouo in-
troduxit.

33. De hoc Nepotismo legi meretur li-
bellus cuiusdam Anonymi, primum in
lingua Itala, deinceps in Gallica editus.

34. Prohibitio Nepotismi ex Nou. 129. l. 5. § 1 eruitur.
35. Sede vacante, capitulum feuda concedit. c. 14. X de Major et obedientia.
36. Homo ciuici ordinis feudum tradit.
37. Idem ius competit rustico. Coccei d. ff. de eo, quod iustum est circa rusticos in materiis feudali.
38. Quoad terras Saxonicas articulus 2. Jur. Feud. Saxon. non obstat.
39. Homines proprii intuitu glebae non, bene tamen intuitu aliorum bonorum, ad ipsos spectantium, feudalem nexum inducunt.
40. Foemina feudum constituit. 2. f. 3. §. 1.
41. Haec iis in locis, in quibus foeminae sine curatoris consensu nihil alienant, curatoris ope indiget.
42. Secus est, si foemina sit illustris.
43. Filiusfam. peculium profectitium plane non; aduentitium regulare non aliter, quam cum patris consensu; irregulare, pariter ac castrense et qs. castrense liberime in feudum concedit.
44. Impubes, uel minor immobili rei, uel mobili, quae seruando seruatur, citra consensum tutoris, uel curatoris ac decretum iudicis qualitatem feudalem non imponit.
45. Idem iuris est circa rem, infeudari solitam, et pupillo, uel minori apertam.

46. Sola ueteris feudi renouatio huc non pertinet. 2. f. 3. pr.

47. Furiosus feudum non concedit.

48. Prodigus, iuridice talis, feudum constituendi iure destituitur.

49. Procurator, speciali mandato instructus, feudalem qualitatem tribuit. 2. f. 3. § 1.

50. Feudum, ab inhabili collatum, est ipso iure nullum.

C A P. VI.

DE

SVBIECTO FEVDI PASSIVO.

I.

Is, qui feudum accipit, audit uasallus.

2. Deriuatio uocis: *uasalli*, parum, uel nihil proderit.

3. Non raro uasallus in iure nostro salutarur fidelis, 1. f. 1. §. 1. 1. f. 4. pr. 1. f. 10. aut clientulus, 1. f. 13. aut miles, 1. f. 19. 1. f. 21. aut feudatarius. 5. f. 2.

4. In antiquis monumentis reperiuntur uocabula: homines, homines ligii, ligii, leodes, beneficiarii, homologi, feudales, satellites, deuoti etc.

5. Germanice uasallus dicitur *Mann*, aut *Lehn-Mann*, uel *belehnter Mann*. *Ius feud.* Al. art. 2. et *Sax. art.* 1. 2. 3. 4. 6.

6. In antiquis documentis leges uerba:

C 4

Leute,

Leute, Lehn-Leute, Late, Knapen, Dienſt
Männer, Ritter. *tyben. Elea. feud. c. 9.*

7. Triplex ſecundum ius Longobardi-
cum eſt uafallorum ordo.

8. Dantur capitanei, dantur ualuafores,
dantur ualuafini. *2. f. 10.*

9. Iſti ſunt, qui beneficium a ſummo
principe accipiunt. *l. c.*

10. Cum his Status Imperii conue-
niunt.

11. Illi ſunt capitaneorum uafalli. *l. c.*

12. Cum his uafalli Statuum Imperii
conueniunt.

13. Hi ſunt, qui beneficium a uafallis
capitaneorum capiunt.

14. Cum his uafalli uafallorum media-
torum conueniunt.

15. Eodem modo apud Germanos olim
tres erant uafallorum claſſes.

16. Dabantur liberi homines, die hohen
freyen Mannen, qui erant Duces ac prin-
cipes.

17. Dabantur medioxumi, die Mittels
freyen, qui erant ducum ac principum
uafalli.

18. Dabantur Landſaffii, qui erant me-
dioxumorum uafalli. *Schwaben-Spiegel,*
c. 47. et 77.

19. Aliae erant nobilitatis, ſecundum cly-
peos militares, *Heerſchilde*, uiltriburae, claſ-
ſes.

ses. *Pand. N. l. 1. art. 3. Ius feud. Alem. c. 1.*
Michael Praun im Uedelichen Europa c. 2.

20. Vasalli Imperij hodie sunt uel immediati, uel mediati.

21. Immediati sunt, qui feuda immediate ab ipso Imperatore capiunt.

22. Pertinent huc Electores, Archiduces, Comites Palatini, Landgrauui, Marchiones, Burggrauui, Principes, Comites, ac Barones.

23. Imo Principes ecclesiastici huc pertinent.

24. Singulorum iura ac priuilegia exponere, limites iura feudalis non permittunt.

25. Mediati uasalli sunt, qui feudum ab immediatis uasallis capiunt.

26. Accipit feudum, qui libere acquirit.

27. Idque uerum, licet accipiens ad seruitia militaria sit inhabilis. *2. f. 3. §. 1.*

28. Non interest, an uasallus sit nobilis, an ignobilis.

29. Inde Status Imperij immediatus fieri potest alterius Status uasallus.

30. Inde rusticus feudum acquirit.

31. Nec interest, an uasallus sit laicus, an clericus.

32. Feudum, a Monacho acquisitum, cedit monasterio, *arg. Nou. 5. c. 5.*

33. Foemina feudum capit. 2. f. 17
34. Infans sibi feudum non acquirit.
35. Pupillus impubes tutore auctore feudum capit.
36. Minor sine curatoris consensu non fit possessor feudi.
37. Errant, qui ex falso principio, quo credunt, obligationem ad seruitia esse personalem, curatoris consensum non attendunt.
38. Filiusfam. a patre feudum accipit.
39. Fictio unitatis in causis feudalibus exulat.
40. Nec opus est inuolucro emancipationis, in *l. 5. C. de consul. fundatae*.
41. Filiusfam. ab aliis etiam feudum accipit.
42. Hoc feudum pro diuersa qualitate circumstantiarum uel ad peculium profectitium; uel ad peculium aduentitium, tam regulare, quam irregulare; uel ad peculium castrense, aut qs. castrense pertinet.
43. Integrum collegium acceptat feudum.
44. Peregrinus feudum acquirit.
45. Docent hoc exempla Regis Sueciae in-

intuitu Pomeraniae, Regis Daniae intuitu
Holsatiae, aliorumque.

46. Superior ab inferiore feudum capit.

47. Varia huius rei prostant exempla.

48. A se ipso feudum quis accipit.

49. Hoc nihil contradictionis inuoluit,
si modo attendas, unum hominem plures
sustinere posse personas. *Conf. Hertium de
uno homine plures sustinente personas.*

50. Inde Caesar terras suas hereditarias
sub nexu feudali a se ipso tenet.

51. Haeretici, banniti, infames a feudi
acquisitione remouentur.

52. Feudum, ad seruitia militaria inha-
bili collatum, non praestationem seruitio-
rum, sed necessitatem seruitiorum, in per-
sona propria exhibendorum, saltem re-
mittit.

53. Inde seruitia per substitutum praes-
tantur.

54. Feudum, simpliciter inhabili colla-
tum, est ipso iure nullum.

C A P. VII.

DE

NVPTIIS PERSONARVM IL- LVSTRIVM.

I.

Circa nuptias personarum feudalium mi-
nus illustrium nihil fere peculiare oc-
currit.

2. In-

2. Inde lubet, singularia, quae circa nuptias personarum illustrium occurrunt, delibare.

3. Velim tamen ea, quae commode ad personas feudales minus illustres applicari possunt, priuatis meditationibus suppleas.

4. Nuptias inter personas illustres itidem praecedunt sponsalia.

5. Haec utriusque partis consensu absoluntur.

6. Testibus, si de personis, territoriali superioritate gaudentibus sit sermo, non est opus.

7. Nec opus est consensu parentum.

8. Imperatoris consensus non desideratur, licet princeps Imperii exteram ducat. *Myler. de Princ. et Stat. c. 31. L. Bar. a Lyncker de Lib. Stat. S. II. §. 4.*

9. Idem iuris est circa nuptias foeminae illustris, feudum tenentis.

10. Multo minus Ordinum prouincialium consensus desideratur. *Conf. Myler. de Princ. et stat. imperii c. 24. §. 3.*

11. Trina proclamatio non est necessaria.

12. Benedictio sacerdotalis non facile, ex regulis decori, omittitur.

13. Non raro connubium a legato nomine domini perficitur.

14. Princeps nobilem, uel plebeiam ducere non prohibetur. *Conf. Feltmannus de impari matrimonio.*

15. Imo

15. Imo coniux ac liberi eiusdem dignitatis fiunt participes. *Spec. Sax. l. 3. art. 45.*

16. Multo magis nobilis, plebeiam ducens, nobilitatem cum uxore et liberis communicat.

17. Foemina illustris, nobili, uel plebeio nubens, dignitatem paternam retinet. *Myler. Gamol. c. 5. §. 24.*

18. Nuptiae, inter personas imparis conditionis contrahendae, non raro locum relinquunt matrimonio ad morganicam. 2. f. 29.

19. Hoc est coniugalis uiri ac mulieris societas, hac lege inita, ut uxor ac liberi certa portione assignata sint contenti, neque dignitatis maritalis ac paternae fiant participes. l. c.

20. Inde patet, hoc matrimonium esse verum matrimonium.

21. Saltem adiectum pactum naturalia nuptiarum intuitu dignitatis et successio- nis communicandae immutat.

22. Origo huius matrimonii Francis debetur. 2. f. 29.

23. Fundamentum sunt pacta, intuitu successio- nis ac dignitatis inita.

24. Haec dependent a libero contra- hentium arbitrio.

25. Inde patet, eadem non esse unius, eiusdemque generis. *Myler. Gamol. c. 6. §. 1.*

26. Sub-

26. Subiectum est maritus nobilis et uxor minus nobilis. 2. f. 29.

27. Nullum tamen est dubium, quin hoc matrimonium cum foemina aequalis, uel superioris conditionis, uel etiam inter solos ignobiles possit iniri.

28. Finis est conseruatio familiarum illustrium.

29. Effectus dignitatem paternam, ac futuram successionem concernit.

30. Illa non communicatur.

31. Haec uariat, prouti uel pacta determinata, uel indeterminata adsunt.

32. Priori casu illis statur, adeo, ut minorennis foemina, matrimonium Morganaticum celebrans, contra pacta restitutionem in integrum petere non possit. c. 3. de iudiciis in 610.

33. Posteriori casu uel alii exstant liberi, uel non exstant. 2. f. 29.

34. Illo casu filius Morganaticus neque feudum, neque allodium capit. l. c.

35. Hoc casu filius Morganaticus allodium, non feudum, acquirit. l. c.

36. Matrimonium ad morganaticam pacto contrario tollitur.

37. Nuptiae personarum illustrium uarios producunt effectus.

38. Ma.

38. Marito in uxorem maritale competit imperium.

39. Quid? quod iurisdictionio in uxorem marito non denegetur.

40. Iura mariti in bona uxoris plerumque specialibus pactis determinantur. *Dn. de PONIKAV diff. de condit. Stat. Priu. S. 13.*

41. His deficientibus, iura prouinciae attenduntur.

42. Foemina illustris mariti dignitatis fit capax. *Spec. Sax. l. 3. art. 45.*

43. Imo uaria ipsi ratione matrimonii debentur iura.

44. Pertinent huc dos, elocatio, donatio propter nuptias, morgengaba, dotalitium.

45. Dos ex feudo filiabus in subsidium debetur. *SPRINGSE. de apanag. c. 12. n. 31. SECKEND. Fürsten-St. P. II. c. 7. §. 30.*

46. Haec ita, si nubant. *l. 21. ff. de iur. dotium.*

47. Inde, si non nubant, feudum eandem retinet.

48. Debitam ex feudo dotem praestat quilibet feudi possessor.

49. Quantitas dotis, si specialia deficient pacta, ex dignitate patris, conditione feudi, aliisque circumstantiis a domino aestimatur.

50. Soluta dos marito ad sustinenda matrimonii onera traditur.

51. Dote marito illata, foeminae ius tacitae hypothecae in feudo non competit.

52. Quodsi dos in feudum sit uersa; eadem fit onus feudi.

53. Ea, quae in Saxon. El. obtinent, *P. II. Const. 25.* praescribit.

54. Finito matrimonio, dos redit ad uxorem.

55. Elocatio, die *Zussteuer*, praestationem uestium, ornamentorum, currus, equorum, aliarumque rerum inuoluit. *Ludolph. de Iur. foem. illustr. Sect. 2. §. 1.*

56. Non raro loco illarum rerum certa pecuniae summa soluitur.

57. Donatio propter nuptias est ius hypothecarium, uxori a marito in securitatem dotis constitutum.

58. Iam patet, neque dominium, neque usufructum rei, propter nuptias donatae, in uxorem transferri.

59. Solum ius pignoris adest.

60. Donatio propter nuptias plerumque doti solet esse aequalis.

61. Soluta dote, soluitur nexus pignoris.

62. Dantur casus, in quibus foemina donationem propter nuptias lucratur.

63. Morgengaba est donatio, uxori a marito in praemium permisi concubitus facta.

64. Ab hac sponsalitia largitas differt.

65. Do-

65. Dotalitium, *Witum, Leibgeding*, est usufructus certorum feudalium reddituum, uxori post mortem mariti pro dote praestandus.

66. Praestat dotalitium feudi possessor.

67. Non interest, an possessor sit agnatus, an dominus.

68. Caput dotalitium uidua, licet ad secunda transierit uota.

69. Huic electio competit, utrum dotalitium petere, an uero dotem repetere uelit.

70. Vno electo perit alterum.

71. Dotalitium pro dote praestatur.

72. Inde non aliter dotalitium debetur, quam, si dotis illatio fuerit probata. *CARPZOV. l. 6. Resp. 56.*

73. Illatio dotis ex sola mariti confessione haud probatur.

74. Probata dotis illatione, uersio in rem feudalem facta praesumitur. *CARPZOV. l. 4. Resp. 57.*

75. In terris Saxonice uidua dotem promissam, sed uiuo marito non illatam, post mortem mariti adhuc cum usuris offerre potest. *Dec. El. Sax. LV.*

76. Continet dotalitium certos annuos redditus.

77. Quantitas reddituum potissimum ab usu locorum et pactis contrahentium dependet.

D

78. In

78. In Saxonia dotalitium quadruplicatas dotis usuras continet.

79. Inde consultius est, ut maritus exiguam portionem dotis loco sibi inferendam curet.

80. Praestat, pleraque bona loco paraphernalium inferri. *Mü'phort Caut. feud. c. 10.*

81. Reditus praestantur ex feudo.

82. Ecclesiastica feuda huc non pertinent.

83. Inde uulgatum: *Stiff leidet kein Leibgeding.*

84. Dotalitium inuoluit merum usumfructum rei, non dominium.

85. Inde uectigalia, iurisdictio, uel aliud regale in dubio non transfertur.

86. Inde nec homagium a subditis in dubio uiduae praestatur.

87. Liberi, ex iustis nuptiis nati, sunt legitimi.

88. Hi uel ex matrimonio regulari, uel ex matrimonio morganatico nascuntur.

89. Illi dignitatis paternae et iuris succedendi sunt participes; hi non aequae.

90. Legitimis opponuntur illegitimi.

91. Hi uel per subsequens matrimonium legitimantur, uel per rescriptum principis.

92. Priori casu iura legitimorum liberorum consequuntur.

93. Inde auitam dignitatem accipiunt.

94. Inde succedunt in feudum.

95. Po

95. Posteriori catu tantum consequuntur, quantum princeps concessit.

96. Inde non succedunt in feudum, nisi princeps ius succedendi in specie concesserit.

97. Nuptiae personarum illustrium iisdem modis soluuntur, quibus soluuntur nuptiae personarum minus illustrium.

98. Lite circa matrimonium mota, neque Iudicium Aulicum, neque Camera Imperialis iudicat.

99. Status Catholici agnoscunt Pontificis iurisdictionem.

100. Euangelici nullum habent iudicem.

101. Inde uel arbitrum eligere, uel suis se Consistoriis submittere possunt.

C A P. VIII.

DE

TUTELE FEVDALI.

1.

Vasalli sunt uel impuberes, uel puberes.

2. Pubertas ex lapsu 14. annorum indicatur.

3. Iure Saxonico feudali lapsus 13. annorum et sex septimanarum attenditur. *art. 26.*

1. S. Feud.

4. Puberes sunt uel minorenes, uel maiorenes.

D 2

5. Ma-

5. Maiorennitas ex lapsu 25. annorum aestimatur. *Conf. KEMMERICHII diff de maiori Principum aetate.*

6. Iure Saxon. feudali lapsus 21. annorum attenditur. *l. e.*

7. Spatium Saxonicum inter ipsos etiam Principes Saxonicos seruatur.

8. Electores maiorenes fiunt, si decimum octauum aetatis annum compleuerint. *Aur. Ball. tit. 7.*

9. Ante hunc aetatis annum Imperator Electoribus ueniam aetatis concedere potest.

10. Nota est controuersia, inter Ludewvigium et Weberum mota, quorum ille potestatem, Electoribus ueniam aetatis indulgendi, Caesari denegat; hic uero ipsi eandem attribuit.

11. Praeter Electores dantur aliae familiae illustres, quibus tempus maiorennitatis est terminus octodecim annorum.

12. Pertinent huc Serenissimi Duces Lunenburgici, Principes Anhaltini, aliaeque personae illustres. *Myler. de Princ. et Stat. Imper. P. 1. c. 29. §. 6.*

13. Vassalli impuberes sunt in tutela; minores sunt in cura; maiorenes neutro iure tenentur.

14. Tutela est ius impuberis uassalli actiones dirigendi, eiusdemque bona administrandi.

15. Tutela defertur uel a proximo agnato, uel a lege, uel a domino.

16. Pro-

16. Proximus agnatus tutelam conuentione, uel ultima uoluntate defert.

17. Priori casu adest tutela feudalis pactitia.

18. Haec summa se utilitate commendat. *Conf. Illustr. Dn. LEYSERI pererudita diff. de tutela pactitia.*

19. Posteriori casu adest tutela testamentaria.

20. Vi huius uasallus successuro testamento dat tutorem.

21. Effectus patriae potestatis, pro quo tutela testamentaria iure ciuili habetur, intuitu uasallorum illustrium cessat.

22. Non interest, an tutor, testamento datus, sit proximus successor, an sit extraneus.

23. Tutela testamentaria, si priuato in causa publica iudicare liceat, in Electoratus etiam locum inuenit.

24. Firmum contrariae sententiae praesidium *Aur. Bull. c. 7. §. 2.* non affert.

25. Notae sunt controuersiae, in Domo Palatina intuitu huius capituli motae.

26. Notae sunt uariae doctorum circa hanc rem disceptationes. *Conf. Zschlini, Gewoldi, Dionysii Gotthofredi, Marquardi Freheri,* aliorumque scripta.

27. A lege tutela defertur proxime successuro.

D 3

27. In-

27. Inde legitima tutela.
28. Fundamentum est proxima succedendi spes. *Lehn-Recht. art. 26.*
29. Inde soli agnati, non cognati fiunt legitimi tutores.
30. Secus est, si feudum adsit, in quod cognati succedunt.
31. Non interest, an agnati ex uno, an ex utroque latere sint coniuncti.
32. Pluribus agnatis diuersorum graduum existentibus, proximior praefertur. *2. f. 50.*
33. Pluribus unius, eiusdemque gradus agnatis existentibus, omnes admittuntur. *§. 1. Inst. de satisd.*
34. In Saxonia Senior inter agnatos eiusdem gradus tutelam subit. *Land-Recht l. 1. art. 23. Weichbild. art. 49.*
35. Vbi ius succedendi a simultanea inuestitura dependet, ibi agnatus insimul sit simultanee inuestitus.
36. Hoc imprimis attenditur in Saxonia. *Jus feud. Sax. art. 21. et 32. Part. 3. Const. 45.*
37. Quid? quod mater et auia legitimam tutelam sibi iure uindicent. *Auib. Matri et auiae C. quando mulier officio tutelae etc.*
38. Haec ita, si secundis nuptiis et Scto Velleiano renuncient.
39. Rationem huius rei non in spe succedendi

cedendi, sed in singulari pietatis affectu quaeras.

40. Adiunctione unius agnatorum non est opus.

41. Deficientibus agnatis, dominus poterit quidem tutelam subire, sed non cogitur.

42. Quodsi nolit tutelam gerere, ipse alium tutorem constituit.

43. Inde tutela dativa.

44. Ratione personae et bonorum allodialium iudex domicilii tutorem constituit.

45. Hic tutor bona feudalia simul administrat, si dominus feudi non contradicat. §. 17. *Inst. excus. tutor.*

46. Sin contradicat, ipse ratione feudi peculiarem tutorem uasallo dare potest.

47. Dominus feudi sit immediatus, non mediatus.

48. In Imperio Iudicium Aulicum immediatis Imperii uasallis tutorem constituit. *Ringler. de tut. illustr. c. 6.*

49. Idem praestat Camera Imperialis. *l. c.*

50. Subuasallis Imperii tutor a proximis illorum dominis datur. *SPENER. de tutela dativa Subuasalli Imper.*

51. Curator ad certam causam datur a iudice, ad quem cognitio illius causae spectat.

52. Tutela feudalis defertur cuius habili.

53. Inde ne priuatus quidem intuitu feudorum illustrium excluditur.
54. Tutor feudalis, praestita satisfatione, confectoque inventario confirmatur.
55. Confirmatio fit ab eo, qui ius dandi tutorem habet.
56. Tutor, legitime constitutus, rite administrat.
57. Inde obligationes reciprocae.
58. Tacita hypotheca pupillo in bonis tutoris allodialibus, non feudalibus, competit.
59. Tutor gestae administrationis rationes reddit.
60. Tutor, ceu suspectus, remouetur.
61. Reliqua ex iure civili supplebis.
62. Cura feudalis est ius bona minorennis uasalli administrandi.
63. Curae feudalis eadem fere sunt iura, quae sunt tutelae feudalis.
64. Inde facillimo negotio de tutela feudali dicta ad curam feudalem applicabis.

CAP. IX.

DE

OBIECTO FEVDI.

I.

Obiectum feudi sunt omnes res, in commercio humano positae.

2. Rei

2. Rei, impliciter extra commercium politae, non datur feudum.
3. Idem iuris est, si res commercio utriusque, tam domini, quam uasalli, sit exempta.
4. Re extra commercium solius uasalli polita, negotium itidem non subsistit. §. 2. *Inst. de inut. stip.*
5. Re extra commercium solius domini directi polita, ualet negotium, adeo, ut, si res praestari non possit, aestimatio debeat.
6. Dicta comprobant, res sacras, religiosas, pariter ac ecclesiasticas eatenus obiectum feudi esse, quatenus eadem alienari possunt.
7. Res communes in feudum non dantur. §. 1. *Inst. de rer. diu.*
8. Res publicae ac uniuersitatis non quidem a privato; bene tamen a Rep. uel uniuersitate in feudum conceduntur.
9. Paucis; res, uel lege, uel pacto, uel ultima uoluntate alienari prohibita, non fit obiectum feudi. 2. f. 3. *pr.*
10. Res sit immobilis. 2. f. 1. §. *ult.*
11. Inde territoria integra cum superioritate territoriali in feudum dantur.
12. Inde nobilibus praedia cum uariis iuribus ac emolumentis conferuntur.
13. Praedio in feudum concesso, iurisdictio data non censetur. *Hartm. Pistor. Lib. II. Obs. 40.*

14. Res mobilis, in feudum concessa, feudum reddit improprium.
15. Inde pecunia, uel alia res fungibilis fit obiectum feudi improprii.
16. Res sit dantis propria. 2. f. 3. pr.
17. Re aliena titulo oneroso in feudum data, praestatur euictio. *Titius im Deutschen Lehn-Recht c. 7. §. 23. et c. 9. §. 48.*
18. Haec ita, si uasallus qualitatem rei alienae ignorauerit, 2. f. 8. et litem suo denunciauerit auctori. 2. f. 25.
19. Cessat euictio (1) in re, lucratiuo titulo in feudum concessa, (2) in feudo oblato.
20. Non interest, an res sit corporalis, an incorporalis.
21. Fructus pendentes uel cum, uel absque fundo in feudum dantur.
22. Sylua concessa, arbores una cum fundo censentur concessae.
23. Sylua concessa, uenatio data non censetur. *Schrader. de feud. P. III. c. 4. n. 47.*
24. Actiones, intuitu rerum immobilium competentes, in feudum dantur.
25. Seruitus realis in feudum sine praedio dominante concedi nequit; bene tamen cum praedio dominante. *l. 1. §. 1. ff. comm. praed.*
26. Seruitus personalis in feudum datur.
27. Quid? quod summa regalia sub nexu feudali tradantur.
28. In

28. Inde iurisdictio in feudum datur.
29. Iurisdictione simpliciter in feudum concessa, criminalis concessa non uidetur.
30. Secus est, si omnimoda iurisdictio, ab-
le und jede Gerichte, concedatur.
31. Omnimoda iurisdictione data, ecclesi-
astica iurisdictio data non censetur. *Dn. Frey-
stein. diss. inaug. de Iurisdict. eccles. ib. 92. in app.
Vol. III. disput. Jur. publ. Dn. Frusch.*
32. Consultius est, si in litteris inuestitu-
rae iurisdictionum species diserte expri-
mantur.
33. Iurisdictio in dubio subordinate con-
cessa censetur.
34. Hinc dominus directus in subditos
uasalli actus iurisdictionis haud exercet.
35. Gestu iurisdictionis actus sunt ipso iu-
re nulli.
36. Inde tutor, pupillo, sub iurisdictione
uasalli constituto, a domino datus, non est
tutor. *l. un. C. ubi pet. tut.*
37. Simili ratione ius uenandi sub nexu
feudali tribuitur.
38. Venatione simpliciter concessa, uena-
tio minor, die Nieder-Jagt, concessa intelli-
gitur.
39. Dantur certa ferarum genera, quae
uel ad superiorem, uel inferiorem uenatio-
nem pertinent. *Seckendorff im Teutschen
Fürsten-Staat. part. 3. cap. 5. n. 2.*
40. Ius

40. Ius uenandi non comprehendit ius glandem legendi, die Eichel-Wast.

41. Regalibus indefinite in feudum concessis, minora saltem concessa uidentur.

42. Concessio unius, alteriusue regalis non statim inuoluit concessionem aliorum similibus, uel inferiorum.

43. Inde princeps apanagiatus, cui terra cum quibusdam regalibus est designata, alia sibi non arrogat.

44. Formula: mit allen andern Regalien, adiecta, ea saltem regalia, quae cum expressis conueniunt, subintelliguntur.

45. In Imperio Imperator Statibus regalia concedit.

46. Exceptio est, si concessio huius, uel illius regalis in specie sit prohibita.

47. Talis prohibitio intuitu uectigalium occurrit. *Capit. Caroli VI. art. 8.*

48. Status Imperii suis subditis regalia conferunt.

49. Ipsa regalium doctrina, in se considerata, ad doctrinam iuris feudalis non pertinet.

50. Res incorporales et cum, et sine praedio in feudum dantur.

51. Re principali in feudum data, debentur pertinentiae, Behn-Stücke, Zubehörun-gen. *Conf. Georgii Adami STRVII Centuria decisionum, quaenam res feudales? quaenam allodiales?*

52. Hae

52. Hae ex destinatione rei ad perpetuum feudi usum aestimantur: *l. 17. §. 7. ff. de act. emt. uend.*

53. Pertinent huc pisces, uiuariis inclusi, Sag-Fische, eingemauerte Brau-Ofannen, angenagelte Tapeten, aliaque.

54. Inde res, ad usum temporalem, uel custodiae, aut ornatus gratia in fundo habitae, excluduntur.

55. Pertinent huc picturae, specula, candelabra, et alia.

56. Iam patet, solam cohaerentiam non attendi.

57. Sola coniunctio plurium agrorum, in litteris inuestiturae facta, uel sola coemtio pertinentiam haud constituit, *III. Dn. L E T S. Spec. 100. m. 6. et 7.*

58. In dubio res praesumitur esse allodialis.

59. Inde pertinentiam feudalem allegans, eandem probat.

60. Probatio inter alia fit per libros iudiciales. *III. Dn. L E T S. Sp. 100. m. 3.*

61. Pertinentiae debentur, licet non fuerint expressae. *l. 13. §. 31. ff. de act. emt.*

62. Non debentur, si fuerint exceptae.

63. Dantur casus, in quibus exceptio pertinentiarum non permittitur.

64. Huc pertinet illud, quo iuribus plerarumque Germaniae prouinciarum pertinentiae praediorum uendi prohibentur.

Ord. pol. Cell. c. 44. Brunswic. §. 28. et 29. Anhalt. tit. 20.

65. Inde reuio pertinentiarum,

66.

66. Iudicium de reunionem pertinentiarum. *Conf. Iob. Wilhelm. Engelbrecht. dissert. de reunionem pertinentiarum.*

CAP. X.

DE

CONTRACTV FEVDALI.

I.

- F** eudum uel promittitur, uel acquiritur.
2. Promittitur utriusque partis in feudi concessionem placito.
 3. Inde contractus feudalis.
 4. Hic est contractus consensualis de utili rei dominio sub lege fidelitatis praestando.
 5. Iam patet, peculiare adesse negotium, a contractibus iuris ciuilibus distinctum.
 6. Contractus feudalis inicitur consensu.
 7. Inde rei traditio ad sui ipsius essentiam non requiritur.
 8. Consensus declaratur uel pure, uel sub conditione.
 9. Subiectum sunt futurus dominus directus et futurus uasallus.
 10. Obiectum est res in feudum danda.
 11. Forma consistit in consensu de utili dominio sub lege fidelitatis transferendo.
 12. Ex contractu feudali oritur mutua obligatio, utrinque directa.
 13. Dominus obligatur ad rem praecise tradendam,

14. Nec

14. Nec liberatur dominus praestando interesse. 2. f. 26. §. si facta.

15. Traditione citra iustam causam dilata, ad interesse agitur. 2. f. 7. §. 1.

16. Vna, eademque re pluribus promissa, prior posteriori praefertur.

17. Posterior ad interesse agit.

18. Dantur casus, in quibus posterior priori praefertur.

19. Traditur uacua rei possessio. 2. f. 7. §. 1.

20. Vassallus obligatur ad fidem domino praestandam. 2. f. 23.

21. Mutua domini ac vassalli obligatio parit actionem personalem ex contractu feudali.

22. Vna datur domino contra vassallum ad fidem exhibendam.

23. Altera datur vassallo contra dominum ad rem tradendam.

24. Propria auctoritate rem promissam occupare vassallo non licet.

25. Praecipua contractus feudalis, sub conditione initi, species est expectatio beneficii, das Geding.

26. Dicitur eadem alias expectatiua, expectantia, superinfeudatio, Lehns-expectanz, Antwortschaft, Angefälls-Beschreibung.

27. Expectatio beneficii est contractus consensualis, de utili rei domino in euentum,

tum, si feudum fiat apertum, sub lege fidelitatis transferendo.

28. Eadem sua non destituitur aequitate.

29. Velim tamen conferas ea, quae *Ill. Dn. LEYSERVS* in *d. ff. de iniquitate expectantiarum*, Vol. IV. *Med. ad ff. in sine adiecta*, annotavit.

30. Expectatio beneficii nititur consensu conditionali.

31. Condicio est uel generalis, uel specialis.

32. Generalis casum aperturae; specialis casum mortis, aut feloniam, uel alius causae, qua feudum aperitur, respicit.

33. Vno casu speciali expresso, alter non continetur.

34. Inde praestat, expectationem beneficii generalibus exprimi terminis. *Berlich. P. II. concl. 54. n. 67.*

35. Condicio in dubio praesumitur.

36. Subiectum sunt futurus dominus et uasallus.

37. Consensus uasalli possidentis non requiritur.

38. Nec interest, an uasallus possidens liberos, uel agnatos, aut simultaneae inuestitos habeat, nec ne.

39. Obiectum est feudum, nondum apertum.

40. Inde expectatio beneficii est uel certi,

ti, das benannte Gedinge, uel incerti feudi,
das unbenannte Gedinge, communiter *Iure*
Lehn.

41. Forma consistit in consensu de utili
dominio in calum aperti feudi sub lege fide-
litate transferendo.

42. Expectatio beneficii parit mutuam
obligationem.

43. Dominus, pendente conditione, ex-
spectationem beneficii reuocare nequit.

44. Existente conditione, dominus ad
feudi traditionem obligatur.

45. Alienatione feudi consensu domini
facta, dominus tenetur ad interesse.

46. Expectatione beneficii pluribus
concessa, antiquior posteriori praefertur.

Lehn-Recht art. 7.

47. Dantur casus excepti.

48. Vasallus obligatur ad fidem.

49. Mutua obligatio parit actionem per-
sonalem ex contractu feudali.

50. Vna datur domino contra uasallum ad
fidem exhibendam.

51. Altera datur uasallo contra dominum
ad rem, aperto feudo, tradendam.

52. Non raro interesse attenditur.

53. Interdictum quorum bonorum ac re-
medium ex *l. fin. C. de Ed. D. Hadriani toll.*

non aliter locum inueniunt, quam, si expe-
ctatio beneficii per testamentum, id quod
feri

E

feri

fieri potest, sit concessa. *Habn. ad VVesenbec. tit. quor. bon. n. 8.*

54. Feudum propria auctoritate occupare non licet.

55. Exspectatio beneficii ad heredes active et passivae transit. *1. f. 9.*

56. Successor singularis antecessoris promissioni stare non tenetur. *2. f. 26. S. moribus.*

57. In Imperio exspectationes in feuda Imperii per Capitulationem Caroli VI. *art. 12.* prohibentur.

58. Prohibitio non pertinet ad exspectationes beneficiorum, quae ab antecedentibus Imperatoribus propter singularia beneficia Statibus iam sunt concessae. *l. c.*

59. A contractu feudali differt abusiva investitura.

60. Ille solam promissionem, et sic meum ius personale inolvit.

61. Haec dominium utile, et sic ius reale tribuit.

C A P. XI.

DE

TRADITIONE FEVDALI.

I.

Acquiritur feudum traditione, praescriptione, successione.

2. Tre

2. Traditio est actus, quo res accipienti uasallo traditur.

3. Traditio fit per inuestituram, die Belehntung.

4. Antiquissimum est inuestiturae nomen.

5. Inuestitura uariis gaudet significatibus.

6. Eadem h. l. est solennis feudi traditio.

7. Traditio est uel uera, uel ficta.

8. Inde inuestitura est uel propria, uel abusua. 2. f. 2. pr.

9. Propria inuestitura est solennis actus, quo possessio rei feudalis actualiter in uasallum transfertur.

10. Abusua inuestitura est solennis actus, quo possessio rei feudalis non actualiter, sed iuris intellectu uasallo traditur.

11. Ficta traditio est uel longae manus, uel breuis manus, uel symbolica.

12. Omnes fictae traditionis species inuestituram abusiuam, seu impropiam, inuoluunt.

13. Et propriae, et abusuae inuestiturae eadem sunt iura.

14. Inde abusua quoque inuestitura ius reale, utile sc. dominium, transfert. 2. f. 8.

15. Iam patet, abusiuam inuestituram ab expectatione beneficii differre.

16. Inuestit dominus.

17. Hic non raro inuestituram per pro-

curatorem, speciali mandato instructum, peragit 2. f. 3. §. 1.

18. In Imperio Imperator et immediate, et mediate inuestit.

19. Immediate feuda Imperii maiora ab Imperatore, throno insidente, in conclauis, quod audit die Ritter-Stube, per solennem inuestituram traduntur. *ITTER. de feud. c. 9. §. 30.*

20. Mediate feuda Imperii minora per Iudicium Imperii Aulicum ui solennis inuestiturae transferuntur.

21. Vicarii Imperii de feudis maioribus inuestire non possunt. *Aur. Bull. tit. 5. §. 1.*

22. Excipiuntur feuda minora.

23. Inde Vicarii Comitibus inuestituram iure concedunt. *Gribner. de Iur. Vicar. Imp. §. 15.*

24. In aulis Principum Germaniae inuestiturae in Curia feudali, absente Domino, fiunt.

25. Inuestitur uasallus.

26. Hic inuestituram non raro per procuratorem accipit. 2. f. 3. §. 1.

27. Datur casus, in quo inuestitura non, nisi per procuratorem, fieri potest.

28. Procurator sit speciali mandato instructus. *Ordin. Iud. Aul. tit. 13. §. Es sollen auch Myler. de Princip. et Stat. Imper. c. 92. n. 7.*

29. Inde ante actum inuestiturae opus est illius

illius exhibitione.

30. In Imperio olim Principes, principali habitu ornati, ipsi comparebant.

31. Hodie suos mittunt legatos, et per eosdem inuestituram accipiunt.

32. Absentia tamen principalis modeste excusatur.

33. Quoad Saxoniam Electoralem iuuat Mandatum feudale de a. 1691. conferre.

34. Non raro plures uasalli de uno, eodemque feudo inuestiuntur, ita, ut unus feudum actu primo, reliqui illud actu secundo capiant.

35. Inde simultanea inuestitura, die *Mitbelehnung, gesammte Hand.*

36. Actu primo feudum capit, qui re in feudum succedit.

37. Actu secundo feudum capit, qui spem succedendi consequitur.

38. Dantur quaedam simultaneae inuestiturae in iure feudali Longobardico uestigia. *1. f. 3. 2. f. 12.*

39. Origo simultaneae inuestiturae, moribus Germanorum introductae, debetur restrictae agnatorum successioni.

40. Sc. olim in Germania soli filii feudalis successione fiebant participes. *Ius feud. Saxon. c. 6. et 21. Ius feud. Alemann. c. 63.*

41. Agnati non attendebantur. *Ius feud. Sax. c. 32. Ius feud. Alemann. c. 63. §. 1.*

42. Iam, quo agnati succederent, inuenta est ratio simultaneae inuestiturae.

43. Haec agnatis, a spe succedendi exclusis, spem successionis tribuebat. *Ius feud. Saxon. c. 32.*

44. Simultanea inuestitura non solum apud Saxones, sed et apud alios Germaniae populos est recepta. *Schilter. de simultanea inuestitura c. 2.*

45. Inde iubetur in der Reichs-Hoff-Nachts-Ordnung *iii. 3.* ut in illis Imperii terris, in quibus ius simultaneae inuestiturae uiget, secundum illud pronuncietur.

46. Inprimis Saxones eodem iure adeo utuntur, ut omnis successio ex iure, in feudo per simultaneam inuestituram quaesito, deriuetur. *Ius feud. Sax. c. 5. 6. 20. 21. 31. 32. 35.* Torgauisches Ausschreiben *iii.* Welchergestalt die Agnaten §. dieweil dann.

47. Fit simultanea inuestitura consensu domini, pariter ac uasalli possidentis.

48. In Saxon. Elect. uasallis circa feudum nouum ius simultaneae inuestiendos praesentandi competit. *Lehn-Mandat de a. 1691.*

49. Inuestiuntur simultaneae, quibus ius succedendi non competit, siue fit agnatus, siue extraneus.

50. Inde filius non indiget simultanea inuestitura.

51. Expediit, si filius simultanee inuestiatur.

52. Tribuit simultanea inuestitura ius succedendi reale.

53. Inde uasallus, possidens, citra consensum simultanee inuestiti libere de feudo non disponit.

54. His positis, feudum, inuito simultanee inuestito, nec alienari, nec oppignorari potest.

55. Simili ratione simultanee inuestitus, ui realis iuris, possessionem feudi, ad ipsum deuoluti, propria auctoritate apprehendit. 2. f. 33. *Ius feud. Saxon. c. 7. Ius feud. Alem. c. 13.*

56. Ipsa possessio per simultaneam inuestituram non tribuitur.

57. Inde iura possessionis a simultanee inuestito non allegantur.

58. Simultanea inuestitura in terris Saxonis per diuisionem feudi tollitur. *Lehn-R. art. 32. Const. El. Sax. 45. P. II.*

59. A simultanea inuestitura differt expectatio beneficii.

60. Obiectum inuestiturae est feudum apertum, aut allodium, pleno iure ad inuestientem pertinens.

61. Circa feudum nondum apertum ne

abunua quidem inuestitura toleratur.

62. Forma inuestiturae consistit in solenni traditione feudi.

63. Varia sunt solennis inuestiturae solennia.

64. Sc. inuestiendus humiliter ac deuote inuestituram petit. 2. f. 23. *Ius feud Alem. c. 43.*

65. Petitio iure Longobardico fit quolibet tempore.

66. Ter admonitus comparere tenetur. 2. f. 24. § 1.

67. Iure feudali *Saxon. c. 7. et Alemann. c. 15.* petitio fit intra annum et diem a tempore aperti feudi.

68. Loco minorum tutores inuestituram petunt. *Capit. CAROLI VI, art. 11.*

69. Facta petitione, interdum attestatum, quo dominus fatetur, factam fuisse petitionem, ein *Muth-Schein*, datur.

70. Iam dominus diem dicit.

71. Veniente die, uasallus inuestituram denuo petit, ac ad fidelitatem se offert.

72. Dominus petitis annuit.

73. Iuramentum praelegitur.

74. Praelectum solenniter praestatur.

75. Imperator strictum gladium ad osculandum porrigit. *Gundling. de feud. hexill. §. 30.*

76. Vasallus, inuestitus, gratias agit, prolixam-

fixaque officiorum promissione fungitur.

77. Solennitates, circa inuestituram obseruandae, plus uice simplici uariant.

78. Inde non raro ceremoniale uasallis transmittitur.

79. Ipsi inuestiturae accedunt testes.

80. Praesentia testium est solennitatis.
2. f. 32.

81. Inde actus inuestiturae, sine testibus peractus, est ipso iure nullus.

82. Extendo, licet dominus confiteatur, factam fuisse inuestituram. 2. f. 32.

83. Testes ex solennitate ad minimum sint duo. 2. f. 2. pr.

84. Inde unicus testis non sufficit.

85. Extendo, licet inuestitus defectum alterius testis iuramento supplere uelit.

86. Testes sint Pares Curiae. 2. f. 2. pr.

87. Extraneus, communi errore pro pari curiae habitus, actum inuestiendi non uinciat.

88. Admittuntur extranei, si pares curiae uel non adsint, uel absint, uel sint inhabiles. 2. f. 33. pr.

89. Hodie testes itidem adhibentur.

90. In Aula Caesarea inuestiturae fiunt in praesentia Procerum.

91. In aula Electorum et Principum summi Principum Consilarii, qui Aulae feudali assident, sunt instar testium.

92. Facta inuestitura, uasallo datur *der Lehn-Schein*, seu testimonium, quo docetur, inuestituram esse peractam.

93. Hoc testimonium solennes litterae inuestiturae, *der Lehn-Brieff* excipiunt.

94. Hae redimuntur.

95. Litterae inuestiturae inter dominum et uasallum ius saltem faciunt.

96. Inde tertio eadem neque profunt, neque nocent. *III. Dn. LEYSER. Sp. 274. m. 1.*

97. Traditis litteris inuestiturae, uasallus instrumentum recognitionis feudi, einen *Revers*, darinnen specificie ausgedruekt, was vor Güter er vom Herrn zu Lehn empfangen habe, domino tradit.

98. Insignis est huius instrumenti utilitas.

99. Simultaneae inuestiturae alius est ritus.

100. Inprimis simultanee inuestiti iurantibus pallium in ipso iurandi actu apprehendunt.

101. Murato domino, uel uasallo, renouatur inuestitura. *2. f. 24. et 40.*

102. Inde renouatio inuestiturae, *Bersolgung der Lehn.*

103. Haec est legitima feudi, semel quaesiti, confirmatio.

104. Iam patet, feudum iam ante renouationem inuestiturae ad inuestiendum pertinere.

105. Inde successor ante illius renouationem

onem possessionem feudi apprehendit.
(*pos. 55.*)

106. Renouatio inuestiturae in omnibus feudis locum inuenit.

107. Dominus contractum feudalem et ius, in feudo constitutum, de nouo confirmat.

108. Pluribus dominis existentibus, uel omnes renouationem iuris feudalis recipiunt, uel unus nomine omnium.

109. In Imperio Imperator renouationem inuestiturae concedit.

110. Idem ius Vicariis Imperii competit. *Aur. Bull. c. 5.*

111. Vassallus, succedens, renouationem inuestiturae petit. *2. f. 26. §. omnes.*

112. Inde actu nondum succedens renouatione inuestiturae non indiget.

113. Vsu passim obtinet, ut simultanee inuestiti, singulis mutationum vicibus, licet nondum succedant, renouationem inuestiturae petere debeant.

114. Quoad Sax. El. expressa lex adest. *Const. 45. P. 11.*

115. Solam beneficii expectationem habens non petit renouationem inuestiturae.

116. Pluribus vassallis existentibus, omnes renouationem inuestiturae petunt. *2. f. 26. §. omnes.*

117. Non raro unus ex pluribus vassallis

lis

lis constituitur, qui nomine omnium inuestiturae confirmationem accipiat.

118. Inde prouasallus, der Lehn-Träger.

119. Interdum Senior familiae inuestituram nomine omnium petit.

120. Hoc quoad Serenissimam Domum Luneburgicam obtinere, *Stryckius in Append. sub n. 16.* fatetur.

121. Feudo inter plures uasallos diuiso, quilibet pro sua parte renouationem inuestiturae petit. 2. f. 77.

122. Renouatio inuestiturae humiliter ac deuote petitur, 2. f. 33.

123. Litterae, quibus eadem petitur, audiunt *Ansinnungs-Zettel, Lehnsinnung.*

124. Petitur eadem intra annum et diem. 2. f. 24. *pr.*

125. Dies inuoluit spatium integri mensis. 1. f. 22.

126. Distinctio, inter paganum et militem facta, improbatur.

127. In Saxonia dies lapsum sex septimanarum et trium dierum inuoluit. *Lehn-Recht. c. 22. et 25.*

128. Annale istud spatium ratione initii est utile, *arg. 2. f. 9. §. 1.* ratione cursus est continuum.

129. In Imperio annus et dies, quoad feuda secularia, computatur a die uacantiae; quoad ecclesiastica, die electionis. *art. 5. §. 21. Instr. P. O.*

130. Omissa intra annum et diem renouatio-

uationis inuestiturae petitio inuoluit amissionem feudi. 2. f. 24. et 40.

131. Excusant iustae causae. 1. f. 22.

132. Rigor legalis usu fori temperatur, ita, ut, si omisio non ex dolo, uel contemtu domini, sed ex sola negligentia proficiscatur, poena saltem pecuniaria dictitetur.

133. Dominus, uti culpam remittere potest, ita interdum ex iusta causa dilationem concedit.

134. Attestatum, intuitu concessae dilationis datum, audit *der Indult = Schein*.

135. Facta renouationis inuestiturae petitione, dominus iura feudalia renouat.

136. Ante actum inuestiendi uasallus ultimas inuestiturae litteras in forma probante, nec non documentum, ex quo de tempore obitus defuncti constat, exhibet.

137. Quid? quod uasallus suam proximitatem et ius succedendi doceat.

138. Renouatio inuestiturae iure feudali Longobardico fit gratis.

139. Moribus certae sportulae pro litteris inuestiturae soluuntur.

140. Laudemium, die *Lehn-Waare*, non aliter debetur, quam, si illud in specie uel ex consuetudine loci, uel per pacta sit introductum.

141. Inde laudemium strictissimam recipit interpretationem.

142. Quantitas laudemii pro diuersitate locorum est diuersa.

143. Casus, in quibus laudemium soluitur, ex usu, uel pacto iterum dependent.

144. Communiter laudemium in solis emtionibus uenditionibus locum inuenit.

145. Specialem quendam casum, in quo laudemium exigitur, allegans, eundem probat.

146. Laudemium, si sit introductum, est onus feudi reale.

147. Inde uasallus ea quoque laudemia, quae antecessores soluere neglexerunt, debet retro soluere.

148. Praeter laudemium notae sunt die Angefälls-Gelder.

149. Haec in Aula Caesarea eo casu praestantur, si feudum Imperii ad collateralem successorem deferatur.

C A P. XII.

DE

PRAESCRIPTIONE FEVDALI.

I.

Aquiritur feudum praescriptione.
2. Haec uel ex allodio facit feudum
uel constitutum feudum in alium transfert.

3. Es

3. Ex allodio fit feudum per acquisitionem domini uel directi, uel utilis.

4. Dominium directum praescriptione acquiritur, si quis seruitia exigat, seque pro domino directo gerat.

5. Alius casus est, si quis tertium de re aliena inuestiat.

6. Hic inuestiens dominium directum; inuestitus dominium utile praescriptione acquirit.

7. Ratione illius, ad quem res pertinet, eadem res manet allodialis.

8. Dominium utile praescriptione acquiritur, si quis rem animo uasalli possideat, et seruitia, ab altero acceptata, praestet. 2. f. 33.

9. Constitutum feudum praescriptione transfertur uel in alium dominum directum, uel in alium uasallum.

10. In alium dominum directum, si tertius, excluso uero domino, seruitia exigat, hicque a uasallo pro domino habeatur.

11. In alium uasallum, si tertius feudum, ad uerum uasallum pertinens, opinione uasalli possideat, et seruitia, a domino acceptata, praestet.

12. Vltimum praescriptionis genus agnatis non nocet.

13. His potius integrum est, feudum, a primo acquirente possessum, post aliquot etiam secula uindicare.

14. Prae-

14. Praescriptio feudalis requirit continuationem possessionis per tempus, lege definitum.

15. Possessio teneatur intentione directum, uel utile dominium habendi.

16. Inde rem, ceu propriam, possidens eandem sub nexu feudali non ufucapit.

17. Inde facta requiruntur, ex quibus feudalis nexus non possit non colligi.

18. Possessio nitatur bona fide. 2. f. 87.

19. Haec per omne ufucapionis tempus desideratur.

20. Possessio continuetur. 2. f. 26. §. si quis.

21. Inde possessio defuncti prodest successori.

22. Possessio continuetur per tempus, lege definitum.

23. Omne praescriptionis feudalis tempus est 30 annorum. 2. f. 26. §. si quis.

24. In Saxonia huic spatio annus et dies adiicitur. *Sand. X. l. 1. art. 29. Part. 11. Const. El. 50.*

25. Tempus computatur a momento, quo praescripturus quid gessit, ex quo alter colligere potuit, rem, ceu feudalem, possideri.

26. In rebus ecclesiae praescriptio 40 annorum attenditur. *Nou. 111.*

27. Praeter istud spatium datur quadriennium

annium restitutionis in integrum. *Clem. un.
de rest. in integr.*

28. Plura circa praescriptionem rerum
ecclesiae dantur singularia.

29. Titulus non attenditur.

30. Impleta praescriptione feudali, adest
feudum proprium.

31. Alia est praescriptio, qua ex feudo
fit allodium.

32. Contingit illud tam intuitu domi-
ni, quam intuitu uasalli.

33. Dominus utile uasalli dominium
praescribit, si ipse rem feudalem, iure pleni
dominii, tacente uasallo, per 30. annos pos-
sideat.

34. Haec praescriptio agnatis non nocet.

35. Vasallus directum domini dominium
praescribit, si rem feudalem, non, ut feuda-
lem, sed, ut allodiam, per 30. annos pos-
sideat.

36. Sola omisso exactionis, uel praestati-
onis seruitiorum non sufficit.

37. Haec feudum quidem francum facit,
non uero efficit, ut ex feudo fiat allodium.

c. 13. X. de praescript.

38. Inde opus est, ut uasallus uerbis, aut
factis declaret, se nolle esse uasallum.

39. Datur casus, in quo praescriptio im-
memorialis obtinet.

40. Pertinet huc, si Status Imperii immu-
nita-

nitatem a seruitiis contra Imperium uel
praescribere. *Rec. Imperii de a. 1548. §. 54. 56.*
63. 64.

41. Occurrunt casus, in quibus annalis
praescriptio locum inuenit.

CAP. XIII.

DE

SUCCESSIONE PACTITIA.

I.

Feudum acquiritur successione.

2. Successio defertur uel pacto, uel
ultima uoluntate, uel lege.

3. Ea, quae pacto defertur, audit succes-
sio pactitia.

4. Pacta non improbantur, si modo iis
ius tertii non laedatur.

5. Inde nihil interest, utrum pacta here-
ditatem tertii, an uero successionem ipso-
rum pacipientium concernant.

6. Nec interest, utrum pacta sint acqui-
situa, an renunciatiua.

7. Pacta, successioni feudali adiecta, uer-
rii sunt generis.

8. Notabilia sunt pactum confraterni-
tatis et pactum ganerbinarius.

9. Pactum confraternitatis, Erb-Verbrü-
derung, est consensus, inter duas, pluresue
famili

familias ea lege initus, ut, una familia extincta, superstes in uacuum territorium succedat.

10. Illustre exemplum pacti confraternitatis, inter inclytas Domus, Saxoniam; Brandenburgicam & Hassiacam initi, occurrit. *Conf. CARPZOV. et BOD. diff. de hoc pacto confrat.*

11. Subiectum sunt communiter illustres familiae.

12. Nihil tamen impedit, quo minus personae minus illustres idem negotium contrahere possint.

13. Pactum confraternitatis consensum eorum, quorum interest, desiderat.

14. In Imperio non modo Imperatoris, sed et Electorum, imo etiam, pro re nata, Principum consensus requiritur. *Capit. CAROLI VI. art. 10.*

15. Neque consensus Statuum prouincialium remouendus uidetur.

16. Haec ita, si obiectum pacti confraternitatis sint bona feudalia.

17. Inde libera pacifcentibus circa allodialia competit dispositio. *Cap. Iosephi art. 38.*

18. Finis est successio, in casum extinctae unius familiae concessa.

19. Haec est vel reciproca, uel non reciproca.

20. Illustre successiois haud reciprocae

exemplum in pacto, inter Domum Brandenburgicam et Mecklenburgicam inito, occurrit. *FABRI Staats-Canzley P. 14.*

21. Posita successione, fit, ut subditi extirpatae familiae alterius familiae, in pacto comprehensae, fiant subditi.

22. Inde homagium eventualem obsequii promissionem, futurae familiae succedenti faciendam, continet.

23. Pacta confraternitatis in Imperio approbantur. *Capit. LEOPOLD. art. 3. Capit. IOSEPH. art. 6. Capit. CAROL. VI. art. 1.*

24. Pactum ganebinatus est consensus, inter duos, pluresue ea lege initus, ut hi praeter successionem reciprocam, mutua sibi officia in uita exhibeant.

C A P. XIV.

DE

SUCCESSIONE TESTAMENTARIA.

I.

Successio feudalis defertur ultima voluntate.

2. Inde successio testamentaria.

3. Haec promiscue non datur.

4. Sc. dominus inuito uasallo alium dominum in obtrudere nequit.

3. In

5. Inde feudum, citra uasalli uoluntatem, alienare, uel in alium transferre non potest.
2. f. 34. §. ex eadem 2. f. 55. §. firmiter.

6. Inde nec dominus intuitu feudi poterit testari.

7. Vasallus de feudo in testamento non disponit. 1. f. 8. pr.

8. Ratio prohibitionis in praeiudicio domini et agnatorum consistit.

9. Extendo prohibitionem ad feuda franca, pignoratitia, emta, oblata.

10. Extendo, licet uasallo libera alienandi facultas sit concessa.

11. Inde sub generali rerum, per ultimam uoluntatem relictarum, conceptu in dubio feuda non comprehenduntur.

12. His positis, generale fideicommissum excludit feudum.

13. De testamento dicta ad omnes ultimarum uoluntatum species pertinent.

14. Legato feudo, aestimatio debetur, si testator sciuerit, eandem rem esse feudalem.

15. Secus est, si qualitatem feudalem ignorauerit. §. 4. *Inst. de legat.*

16. Aestimationem feudi praestat heres allodialis.

17. Omnis tamen de feudo testandi facultas eo ipso non remouetur.

18. Eadem permittitur in feudo nouo, si

dominus; in antiquo, si dominus et agnati consentiant,

19. Tacitus consensus sufficit.

20. Hic non colligitur ex silentio domini et agnatorum, circa testamenti confectionem praesentium. *c. 44. de reg. iur. in 610.*

21. Sic itaque in Imperio circa feudum novum consensus Imperatoris et duorum Superiorum Collegiorum; circa feudum antiquum non modo consensus Imperatoris et duorum Superiorum Collegiorum, sed et consensus Agnatorum desideratur. *SCHILTER Jus publ. l. 2. tit. 9. §. 5. REINKING. de reg. sec. et eccl. l. 1. cl. 4. c. 17. n. 60.*

22. Licita est testandi facultas in feudo mere hereditario.

23. Caue tamen, ne hoc ad feudum hereditarium applies.

24. Libera est testandi facultas, si iure proprio successurus instituatur.

25. Denique testamenti factio intuitu eorum, quae iure allodiali censentur, non improbat.

26. Inde vassallus de fructibus feudi, ad ipsum pertinentibus, testatur.

27. Eo ipso fructus futuri excluduntur.

28. Inde vassallus de melioramentis feudi libere disponit.

29. Inde vassallus circa pretium, ex feudo redactum, per modum ultimae voluntatis libere agit.

30. Va

30. Vafallus, testamentum conditurus, si sit persona illustris, solennia iuris Ciuilis obferuare non tenetur.

31. Secus est, si sit persona minus illustris.

C A P. XV.

DE

SVCCESIONE LEGITIMA.

I.

Successio defertur immediate a lege.

2. Inde successio legitima.

3. Olim feuda erant precaria.

4. Inde eadem pro lubitu reuocari poterant. *1. f. 1. §. 1.*

5. Successu temporis eadem fiebant annalia. *l. c.*

6. Deinceps feuda ad uitam fidelis producebantur. *l. c.*

7. Paulo post feuda ad filium, quem dominus eligebat, transibant. *l. c.*

8. Interiecto aliquo temporis spatio, feudum aequaliter ad omnes filios pertinebat. *l. c.*

9. Ius filiorum, per constitutionem Lotharii, ad nepotes est extensum. *1. f. 19.*

10. Eadem Lotharii constitutio iussit, ut feudum antiquum a fratre ad fratrem deuolueretur. *l. c.*

F 4

II. Haec

11. Haec Conradus II. confirmavit. *l. f. §. 4.*
12. Post haec Longobardi successionem fraternam ad fratrum filios applicabant. *l. f. §. 4.*
13. Alio rursus tempore feudalis successio usque ad septimum geniculum extendebatur. *l. c.*
14. Tandem successio feudalis usque in infinitum competebat. *l. c.*
15. Iam patet, iure Longobardico circa successionem feudalem ius sanguinis potissimum attendi.
16. Apud Germanos olim soli filii, exclusis reliquis, succedebant. *I. F. Sax. c. 21. I. F. Alemann. c. 63.*
17. Inde fundamentum simultaneae investiturae, eo fine introductae, ut agnati succederent. *I. F. Sax. c. 32.*
18. Iam patet, iure Germanico, praeter ius sanguinis, simultaneam investituram attendi.
19. Successurus sit habilis.
20. Inde excluduntur foeminae. *2. f. 11. 2. f. 36 I. F. Alem. c. 1. et 2. I. F. Sax. c. 2.*
21. Ratio prohibitionis.
22. Extendo assertum ad feuda franca, ecclesiastica, emta, conditionata.
23. Vna cum foemina omnes ex foemina nati excluduntur. *l. f. §. 3.*
24. Inde Ludouicus XII. Galliae Rex, Duca-

Ducatum Mediolanensem sibi attribuendi,
ius non habuit. *GOLDAST*, in den Reichs-
Handlungen p. 53.

25. Admittitur foemina ex pacto.
26. Admittitur in feudo foeminino.
27. Admittitur ex consuetudine loci.
28. Dantur multa Imperii feuda, in quibus foeminae succedunt.
29. Henricus VI. consilia de successione in feuda Imperii, ad foeminas extendenda, fouebat. *Monzamb. c. 2. §. 4.*
30. Si foemina succedat, succedit in subsidium. 2. f. 17. et 30.
31. Inde masculi excludunt foeminas. *l. c.*
32. Feudum, a foemina semel acquisitum, non aufertur per subsequutam prolem masculam.
33. Excipe, si masculus tempore successione delatae iam fuerit in utero materno. *pr. Inst. de ingen.*
34. Foemina, semel exclusa, non est in perpetuum exclusa.
35. Clericus successione feudalis est incapax. 2. f. 21. 2. f. 26. 2. f. 30.
36. Quid? quod feudum, antea quaesitum, amittat 2 f. 21. 2. f. 26. §. qui clericus.
37. In Imperio clerici non succedunt in Electoratus seculares. *Aur. Bull. c. 7. §. 2.*
38. Quoad reliqua Germaniae territoria

clerici usu fori admittuntur.

39. Imo clerici hodie in singulorum Statuum territoriis feuda capiunt.

40. In Sax. El. hoc est notissimi iuris. *P. 3. Const. 28.*

41. Excluduntur illi, qui vitio animi, uel corporis laborant. *2. f. 36.*

42. Ne feudum quidem francum imperfectos admittit.

43. Superueniens casus non attenditur.

44. In Imperio vitia animi impedimento sunt illustri successioni.

45. Clara, quoad Electoratus, existit dispositio. *Aur. Bull. cc 25. §. 2.*

46. Vitia corporis successioni territoriali non obstant.

47. Dominus in praeiudicium agnatorum inhabili gratiam facere non potest. *Conf. BERGERI diff. de mutorum, surdorumque circa feuda iure.*

48. Omnis successio feudalis est descendens, respectu ad primum acquirentem, non ad ultimum possessorem habito.

49. Inde in feudo nouo succedunt soli descendentes.

50. In feudo antiquo succedunt (1) descendentes, (2) ascendentes, (3) collaterales.

51. Omnium primum succedunt liberi.

52. Liberi sint masculi, non foeminae. *7. f.*

1. §. 3.

53. Li.

53. Liberi sint legitimi. 2. f. 26. §. *Naturales. Aur. Bull. c. 7. §. 2.*

54. Inde naturales, spurii, adulterini, incestuosi excluduntur.

55. Legitimati per subsequens matrimonium succedunt. *CARPZOV. P. III. const. 28. d. 17.*

56. Hi in iure primogeniturae fratrem legitimum, natu minorem, non absolute, sed secundum quid excludunt. *MYLER Gamol. c. 25. n. 5. ITTER. de F. I. c. 14. §. 3.*

57. Legitimati per rescriptum principis non succedunt. 2. f. 26. §. *Naturales.*

58. Secus est, si princeps consensu domini et agnatorum in specie ius succedendi largiatur.

59. Ex matrimonio morganatico nati eatenus succedunt, quatenus per pacta a successione feudali non sunt exclusi. 2. f. 26. §. *fili. 2. f. 29.*

60. Ex matrimonio inaequali nati succedunt.

61. Illustre exemplum in Wilhelmo, Marchione Badensi, occurrit. *ITTER. de F. I. c. 14. §. 9.*

62. Liberi a primo acquirente sanguinem trahant.

63. Inde liberi adoptiui non succedunt. 2. f. 26. §. *adoptiuos.*

64. Non interest, an liberi sint in patria potestate constituti; an sint emancipati.

65. VI.

65. Vltimum extendo, licet unus liberorum, uiuo patre, tantum ex allodio acciperit, quantum ipsi debetur ex feudo.

66. Liberi succedunt in capita.

67. Inde omnes aequaliter admittuntur.
l. f. 8. pr.

68. Pluribus aequaliter admissis, integrum ipsis est, an feudum diuidere, an uero illud communiter tenere uelint. *2. f. 55. §. praeterea.*

69. Diuisio feudi non fit uno, eodemque modo. *SECKEND. Fürsten-Staat, P. 2. c. 3. §. 3.*

70. Inprimis circa illam dispositio paterna, uel pactum familiae, aut diuidentium placita attenduntur.

71. Diuisione facta, singuli sua peculiaria iura obtinent.

72. Inde in Imperio singuli fiunt regerende Landes-Fürsten; singuli suffragium in comitiis nanciscuntur.

73. Alia, si aliter conuentum, obtinent.

74. Individua feudi possessio uariis fit modis.

75. Nonnunquam omnes communi nomine prouincias regunt.

76. Nonnunquam omnes uni administrationem committunt. *SECKEND. Fürsten-Staat, P. 2. c. 3. §. 3.*

77. Nonnunquam singuli alternis uicibus bona administrant.

78. Inde alternatio, die *Mutschierung.*

79. Omnibus istis casibus fructus feudi inter socios diuiduntur.

80. Feuda maiora sunt indiuidua. 2. f.

55. §. praeterea. *Ius prou. Alem. libr. 1. c. 20. §. 25.*

81. In Imperio Electoratus diuisionem respuunt. *Aur. Bull. c. 25.*

82. Reliqua feuda regalia, licet non olim, hodie tamen diuisioni sunt obnoxia. *ITTER. de F. I. c. 13. §. 9.*

83. Iudicium de commodis feudi indiuidui, uel diuidui.

84. Incommoda, ex diuisione profecta, ansam introducendo iuri primogeniturae dederunt.

85. Caue tamen, ne ab indiuiduitate feudi ad ius primogeniturae argumenteris.

86. Ius primogeniturae est, quo ex pluribus, gradu aequalibus, solus primogenitus succedit.

87. Iudicium de moralitate iuris primogeniturae *Conf. VOIT. SALTZBURG. diff. de emol. territ. inpr. Germ. ex iure primog. LVDOLPH. de introd. iur. primog. part. gen. aph. 15. part. spec. aph. 2.*

88. Introducitur ius primogeniturae lege, pactis familiae, consuetudine, testamento, praescriptione. *LVDOLPH. l. c.*

89. Primogenitus est, qui prior ceteris uiuus ac perfectus in lucem editur.

90. Non

90. Non interest, an quis ante acquiritum feudum, an post illud nascatur. *ITTER. de F. I. c. 12. §. 17.*

91. Vi iuris primogeniturae primogenitus cum sua progenie in feudum succedit.

92. Inde progenies primogeniti excludit fratres primogeniti postgenitos.

93. Inde non proximitas gradus, sed linea proximior attenditur.

94. Nota est controuersia, inter familiam Saxoniam Altenburgensem et Viniariensem intuitu huius capituli mota. *Conf. ENGELBR. de success. in Elect. et GOLDAST. de maior.*

95. Ius primogeniturae in dubio uim suam saltem circa bona feudalia, non allodialia exerit.

96. Feudo in primogenitum collato, ultrageniti certam portionem, secundum familiae dignitatem et uires prouinciae determinandam, capiunt.

97. Inde apanagium.

98. Assignata portio uel in pecunia numerata, uel in annuis redditibus consistit.

99. Vtrumque aestimatur ex rationibus administratorii praeteritorum annorum.

100. Inde has edi iuuat.

101. Non raro apanagiatis certa territorii portio assignatur.

102. Hac concessa, in dubio neque superioritas territorialis, neque unum, alterum

ue regale, sed solum ius capiendi reditus concessum iudicatur.

103. Nonnunquam apanagiat, una cum territorio, partem superioritatis territorialis consequuntur.

104. Inde paragium.

105. Apanagii et paragii distinctio citra rationem improbat. *HERT. de comment. apan. et parag. dist. THOMAS. Vindic. dist. inter parag. et apan.*

106. Quodsi primogenitus sit inhabilis, uel iuri suo renunciaret, feudum ad secundo genitum deuoluitur.

107. In Imperio ius primogeniturae in Electoratibus uiget. *AVR. BVLL. c. 7. et 25.*

108. Dantur alii etiam Principatus et Comitatus, in quibus ius primogeniturae obtinet.

109. Domus Austriaca, Saxonica, Brunsvicensis, Hassiaca, aliaeque, nec non familiae Comitum Hanouiensium, Oettingensium, aliorumque luculentissima huius rei produnt exempla. *LVDOLPH. part. gen. apb. 13.*

110. Tollitur ius primogeniturae illius renunciatione.

111. Haec renunciati, non aliis, obest.

112. A iure primogeniturae differt maioratus.

113. Ius maioratus est, quo senior totius familiae succedit.

114. Liberi feudum ab allodio separare nequeunt. 2. f. 51. § 4.

115. Inde liberi uel utrumque repudiare, uel utrumque acceptare debent.

116. Inde liberi, feudo acceptato, a solutione debitorum paternorum sese liberare nequeunt.

117. Nepotes iure repraesentationis succedunt in stirpes, siue cum defuncti liberis concurrant, siue sint soli. 1. f. 8. 1. f. 14.

118. Usualis interpretatio uocabuli: Sohn, *Jur. feud. Saxon. art. 6. et 21.* occurrentis, notatur.

119. Remotiores descendentes itidem repraesentationis iure succedunt in stirpes.

120. Ascendentes non succedunt. 2. f. 50.

121. Extendo assertum, licet pater sua pecunia feudum nomine filii emerit.

122. Extendo, licet feudum pro se et heredibus fuerit datum.

123. Secus est, si successio ascendentium pactis contrahentium firmata fuerit. 2. f. 84.

124. Idem iuris est, si feudum sit mere hereditarium.

125. Simili ratione pater succedit, si hic non simpliciter, sed in gratiam filii, iam defuncti, feudo sese abdicauerit. 2. f. 49.

126. Ascendentes, si succedant, excludunt collaterales.

127. Hoc in Saxonia extra omnem dubitationem.

tationis aleam est positum. Land-Necht. l. 1.
art. 17.

128. Ascendentibus, si non succedant, legitima debetur.

129. Collaterales in feudo novo non succedunt, nisi ex pacto, uel simultanea inuestitura. l. f. 20.

130. In feudo antiquo collaterales succedunt.

131. Inde fratres germani et consanguinei, eiusdem lineae ac gradus, succedunt in capita.

132. Duplicitas uinculi in feudalibus non attenditur.

133. Fratres uterini excluduntur. 2. f. 11.

134. Secus est, si feudum sit foemininum.

135. Quodsi fratrum praemortuorum filii cum fratribus concurrant; hi in capita, illi, repraesentationis iure, in stirpes succedunt.

136. Ius repraesentationis circa lineam collateralem in ipsa etiam Saxonia, quoad successionem feudalem, probatur. Const. 29.
P. 3.

137. Hoc ius in linea collateralis ultra fratrum liberos se non extendit.

138. Si fratrum liberi sint soli, succedunt in capita.

G

139. Tra-

139. Fratrum liberi excludunt patrum defuncti. *ITIER. de F. l. c. 15. §. 12.*

140. Reliqui collaterales secundum proximitatem lineae et gradus in infinitum succedunt.

141. Proximitas aestimatur non intuitu primi acquirentis, sed intuitu ultimi possessoris.

142. Inde, si quis in eadem cum defuncto sit linea, hic succedit.

143. Sin plures aequali gradu in eadem linea occurrant, succedunt aequaliter.

144. Si prima linea deficiat, successio ad lineam, proxime uenientem, deuoluitur.

145. Iam patet, primum lineae, deinceps gradus rationem haberi.

146. Inde successio feudalis est linealis.

147. Vltima, quae 2. f. 50. occurrunt, uerba in contrarium me non mouent, cum ibidem uox: *aequaliter*, idem sit, ac *similiter*.

148. Notae sunt controuersiae, inter *SCHILTERVM* et *TEXTOREM* de successione lineali motae.

149. Successurus probet mortem defuncti, *conf. diff. meam de praematura apprehensione feudi, morte possessoris nondum probata, suumque ius succedendi.*

150. Vbi simultanea inuestitura est recepta, ibi ascendentes et collaterales non tam iure agnationis, quam iure simultaneae inuestiturae succedunt.

151. Imo extraneus, simultanee inuestitus, succedit.

152. Haec potissimum in terris Saxonice obtinent. *lus feud. Saxon. art. 5. 6. 20. 21. 31. 32. 35.* Torgauisches Ausschreiben *et* welcher gestalt die *agnaten* §. Denn dieweil in solchen Zweifel.

153. Omnes simultanee inuestiti, siue sint agnati, siue cognati, siue extranei, simul in capita succedunt. *CARPZOV. P. III. Const. 29. 4. 8.*

154. Inde nec sanguinis, nec lineae, nec gradus praerogatiua attenditur.

155. Secus est, si praerogatiua gradus uel consuetudine loci, uel pacto sit firmata.

156. Pactum adiicitur uel expresse, per clausulam: *nach rechter Sipzahl*, uel tacite.

157. Coniuges in feudum non succedunt. *l. f. 15. 2. f. 13.*

158. Secus est, si id expresse actum, ut sibi inuicem succedant. *l. c.*

159. Viduae ex feudo debetur dotaliti-um.

160. Omni successore feudali deficiente, feudum ad dominum reuertitur.

161. Inde fisci nulla est successio.

162. Extendo assertum, licet feudum sit hereditarium.

163. Feudo ad dominum reuerso, ex feudo per consolidationem fit allodium.

G 2

164. Feu-

164. Feudo ad successorem feudalem devoluto, fructuum, meliorationum, pariter ac deteriorationum ratio habetur.

165. Fructus naturales, nondum percepti, sunt successoris feudalis, si vassallus ante Calendas Martii; sunt heredis allodialis, si vassallus post Calendas Martii usque ad Augustum decesserit. 2. f. 28. §. *his consequentor.*

166. Fructus naturales percepti sunt pars allodii.

167. Inde hi ad heredes allodiales pertinent.

168. Fructus civiles debentur heredibus allodialibus, si dies, viuo, vassallo iam uenerit.

169. Sin dies post mortem vassalli uenerit, fructus pro rata temporis inter heredes allodiales et successores feudales diuiduntur.

170. Ea, quae in Saxonia obtinent, uidere licet ex *Land-Recht. libr. 2. art. 58. et Const. Sax. 32. P. III.*

171. Propter meliorationem, in perpetuam feudi utilitatem factam, heredes allodiales pretium meliorationis repetunt. 2. f. 28. §. *Si vassallus.*

172. Pretium computatur ex praesenti meliorationis aestimatione. l. 38. ff. *de R. V.*

173. Datur casus, in quo positum auferre licet.

174. In Sax. meliorationes, in aedificia feu dalia factae, non repetuntur. *Land-R. l. 2. art. 21. Const. 31. P. III.*

175. De-

175. Deteriorationes feudi, dolo uel culpa uasalli factae, ab heredibus uasalli pensantur.

C A P. XVI.

DE

FORMA FEVDI.

I.

Forma feudi est uel interna, uel externa.

2. Interna est fides.

3. Innuo fidem uasalliticam, non theologiam, uel iuridicam, uel historicam, uel ministerialem, uel communem.

4. Fides sit reciproca.

5. Inde 2. f. 58. coniugalis quaedam coniunctio inter dominum et uasallum interuenire dicitur.

6. Vi reciprocae fidei dominus uasallo fidem, citra reuerentiam, exhibet. 2. f. 6.

7. Sic dominus uasallum, ipsiusque familiam defendit, commoda ipsius quaerit, ac omne damnum auertit.

8. Nec est, cur fidem ipsius domini ad sola feuda oblata restringas cum *LVDEVVI. GIO in Iure Clientelari. p. 74.*

9. Maiori iure uasallus domino fidelitatem praestat.

10. Nec interest, an uasallus domino sit superior; an inferior. 2. f. 100.

11. Fidelitas inuoluit praestationem seruitio-

G 3

uitio-

uitiorum.

12. Seruitia sunt uel substantialia, uel naturalia, uel accidentalia.

13. Illa sunt, quae abesse nequeunt.

14. Pertinent huc pietas, obsequium ac reuerentia.

15. Inde uasallus dominum haud accusat.

2. §. 33. 1.

16. Inde actionem famosam contra eundem non instituit.

17. Inde uasallus in causa criminali non est testis. 2. f. 33. §. 1.

18. Inde uasallus iuramentum calumniae non exigit a domino. l. c.

19. Inde uasallus domino, in casu incipiae, alimenta praestat.

20. Inde uasallus dominum captiuum redimit. 2. f. 24. §. item si delator.

21. Taceo reliqua pietatis ac reuerentiae officia.

22. Seruitia naturalia sunt operae, quas uasalli dominis communiter exhibent.

23. Hae sunt uel militares, Ritter-Dienste, Kriegs-Dienste, Heer-Fahrt, uel paganae, Hoff-Dienste.

24. Olim seruitia aulica in maximo fuerunt usu.

25. Accidentalialia seruitia sunt operae, quae pactis singulariter exprimuntur.

26. Exemplum huius rei occurrit 2. f.

3. §. 2.

27. Va-

27. Vafallus feruit personaliter, non per substitutum. 2. f. 26. §. si quis.

28. Dignitas a personali comparitione haud liberat.

29. Dantur iustae causae, quae personalem comparitionem remittunt.

30. Plures uafalli, feudum pro indiuiso possidentes, unum saltem seruitium exhibent. 2. f. 77.

31. Vafallus feruit domino.

32. Dominus sit habilis.

33. Excommunicato, uel bannito domino seruitia non debentur. 2. f. 28. pr.

34. Pluribus unius, eiusdemque feudi dominis existentibus, singulis pro parte seruiendum. 2. f. 77.

35. Pluribus diuersorum feudorum dominis existentibus, antiquiori, si omnes simul seruitia exigant, est seruiendum.

36. Sin diuersis temporibus exigant, primo denunciati est seruiendum. *Ius feud. Alem. c. 87. Ius feud. Sax. c. 46.*

37. Dominus exigit seruitia.

38. Inde uafallus sese ad seruitia offerre non tenetur. 2. f. 26. §. licet.

39. Excipias seruitia substantialia. l. c.

40. Vafallus contra omnes, ne patre quidem excepto, seruit. 2. f. 28. §. contra.

41. Excipitur Imperator et dominus antiquior. 2. f. 55. §. 2. 2. f. 28. §. contra.

42. Seruitia praestantur debito modo.

G 4

43. In.

43. Inde iuuat, litteras inuestiturae et loci consuetudinem attendere.

44. In dubio seruitia indeterminate praestantur.

45. Dominus tamen in exigendo modum seruat, et feudi quantitatem attendit. 2. f. 77.

46. In Imperio seruitia regulariter secundum numerum equorum, nach denen Ritter-Pferden, determinantur.

47. Feudo aucto, uel imminuto, augetur, uel imminuuntur seruitia indeterminate, non determinata.

48. Seruitia praestantur in natura.

49. Inde dominus loco seruitiorum pecuniam exigere nequit.

50. Inde uasallus non liberatur praestando id, quod interest.

51. Loco seruitiorum, ex spontaneo domini et uasalli consensu, dimidia pars fructum et redditum eius anni, quo hostem faciunt, praestatur. 2. f. 40. pr. 2. f. 55 § 1.

52. Hodie non raro loco seruitiorum pecunia soluitur.

53. Vasallus seruit in bello iusto, non in bello notorie iniusto. 2. f. 28. pr.

54. Si dubia sit belli causa, uasallus paret.

55. Alia est *GROTII* de iur. bell. et pac. l. 2. c. 26. sententia.

56. Vasallus non seruit extra domini territorium.

57. Dan-

57. Dantur casus excepti.
58. Iure Longobardico uasallus sumtu domini seruit. 2. f. 107.
59. Nec interest, an seruitia in, an extra territorium exhibeantur.
60. Iure Germanico uasallus intra sex priores septimanas suo ipsius sumtu seruitia praestat. *Ius feud. Sax. art. 6. Ius feud. Alem. c. 7. SCHILTERVS ad Ius Alemann. c. 7. §. 7.*
61. Vfus dominum ad sustentationem, zu Futter, Mahl und Huffschlag, obligat.
62. Haec tamen obligatio imperfecta, non perfecta, uidetur.
63. Eo ipso uasallus ea, quae ad instructionem armorum, uel equorum pertinent, suis sibi comparat sumtibus.
64. Neque uasallus reparationem damni, circa res expeditorias sibi illati, a domino petit.
65. Contrarium, in art. 4. *Iur. feud. Sax. statutum*, usu non seruatur. *CARPZOV. P. 3. Const. 28. d. 18. n. 8.*
66. Praestatio seruitiorum est onus feudi reale.
67. Inde obligatio ad fidelitatem rem afficit.
68. Inde circa aestimationem feudorum, bey Anschlag der Ritter-Güter, certa peninae summa propter onus seruitiorum detrahitur.

69. Onus seruitiorum immunitatem ab oneribus, per ius collectandi impositis, inuoluit.

70. Sic inhospitatio militum, die Einquartierung, in feudis exulat.

71. Regulam summus necessitatis casus restringit. *Rec. Imp. de a. 1548. §. wiewohl nun Rec. Imper. de a 1582. §. und dennoch sollen die Untherthanen.*

72. Remittuntur seruitia naturalia, non substantialia.

73. Inde feudum francum non est absque fide.

74. Forma feudi externa consistit in solenni fidelitatis promissione, iurato facta.

75. Inde iuramentum fidelitatis, Lehns-
Pflicht.

76. Hoc iuramentum est naturale feudi.

77. Inde illud ad omnia omnino feuda pertinet.

78. His positis, neque feuda ecclesiastica, neque feuda franca excluduntur.

79. Iurat uasallus.

80. Foemina, clericus, superior dignitate non excipiuntur.

81. Impubes, uel minor haud iurat. 2. f. 26.

§ *si minori.*

82. Inde his ein Indult-Schein conceditur.

83. Tutor uel curator nomine pupilli,
uel

uel minorennis sponte saltem iurat. 2. f. 26.
S. si quis.

84. Praestitum a tutoribus iuramentum minorennem, maiorennem factum, a praestatione iuramenti non liberat.

85. In imperio tutores, uel curatores nomine minorennim fidelitatis iuramentum praestant, adeo, ut illud a principalibus, maiorennibus factis, non repetatur. *Capit. CAROLI VI. art. II.*

86. Collegium iurat per procuratorem.

87. Dominus, licet fidem reciprocam exhibeat, non iurat.

88. Inde dominus, fidem frangens, dicitur malefidus. 2. f. 6.

89. E contrario uasallus, fidem frangens, audit perfidus et periurus. l. c.

90. Iuratur domino.

91. Iuratur solenniter.

92. In Aula Caesarea uasalli, flexis genibus decumbentes, impositisque duobus digitis anterioribus Euangelio S. Iohannis, iurant. *ITTER. de F. l. c. 9. §. 40.*

93. Non interest, an uasallus sit laicus, an clericus.

94. In Aulis Principum Imperii uasalli stantes, erectis digitis, iurant.

95. Formulae iuramenti fidelitatis 2. f. 5. et 2. f. 7. occurrunt.

96. Recentiores formulas passim inuenies.

97. Iu-

97. Iuratur uel immediate, uel mediate per procuratorem, speciali mandato instructum.

98. In Saxonia procurator non admittitur, nisi impedimentum sit perpetuum.

99. Inuestitura praecedit actum iurandi. 2. f. 4. 2. f. 7. §. 1.

100. Vsu multorum locorum iuramentum fidelitatis ante inuestiendi actum praestatur.

101. In dubio dispositioni iuris feudalis Longobardici insistendum esse, credo.

102. Repetitio iuramenti fidelitatis obtinet.

103. Eadem in Saxon. El. exulat. Lehns-Mandat. *de a. 1691.*

104. Remittitur iuramentum fidelitatis, non ipsa fides.

105. A iuramento fidelitatis differt iuramentum subiectionis, seu homagium, Landes-Huldigung, Erb-Huldigung, Unterthannen-Pflicht. BERGERI *diss. de nexu iurisiurandi fidelitatis et subiectionis.*

106. Hoc praestat subditus.

107. Magna inter uasallum et subditum intercedit differentia.

108. Inde formulae uasallagii et homagii non possunt non esse diuersae.

109. Inprimis uox: gehorsam, in iuramento fidelitatis omitti, iuramento subiectionis uero inseri solet.

110. Vtrumque iuramentum combinatur, ubi uasallus insimul est subditus.

111. Contingit illud in Imperio quoad Status Imperii. *Schilter. c. 4. §. 10. Iur. Alemann.*

112. Eadem obtinent in Saxonia Electorali.

113. Inde fit, ut die, solenni homagio, a subditis recipiendo, sacro, Nobiles uasalli subiectionem quidem promittant, homagium uero non praestent.

114. Aliud est iuramentum ministeriale. *Ants-Pflicht, Diener-Eid. 2. f. 5.*

115. Hoc praestant officiales ratione officii demandati. *Schilter. in notis ad Seruuii Synagma Iur. feud. c. 2.*

116. Inde, officio durante, intuitu solius officii, non intuitu aliarum rerum, adest obligatio.

117. Inde, finito officio, cessat obligatio.

C A P. XVII.

DE

IVRIBVS DOMINI ET VASALLI.

I.

Dominus directum; uasallus utile feudi dominium habet.

2. Vi domini directi dominus proprietatem feudi retinet. 3. Do-

3. Dominus fidelitatem exigit.
4. Ipse feudo seruitutem non modo acquirit, sed et eandem, consensu uasalli et agnatorum, imponit.
5. Dominus feudum apertum lucratur.
6. Ipse ius protimiseos exercet; 2. f. 9. §. 1. iure autem retractus non indiget. 2. f. 55.
7. Ipse dominium suum directum, inuito uasallo, non alienat. 2. f. 34. §. 1. 2. f. 55. §. 1.
8. Neque oppignoratio dominii directi ualebit.
9. Vi dominii utilis uasallus usumfructum feudi cum particula quadam dominii capit.
10. Inde uasallus fructus, et naturales, et ciuiles, percipit.
11. Thesaurum, in fundo feudali inuentum, facit suum.
12. Seruitutem feudo acquirit; 2. f. 28. §. si uasallus; non uero eandem, citra consensum domini et agnatorum, feudo imponit. 2. f. 8. pr.
13. Seruitus, a solo uasallo constituta, omni effectum non destituitur.
14. Vasallus circa feudum libere contrahit.
15. Inde feudum alteri locat. 2. f. 9. §. 1.
16. Inde feudum alii sub nexu feudali tradit. 2. f. 34. §. 2.
17. Hinc subinfeudatio, *Affter-Behn*.
18. Ea-

18. Eadem est actus, quo uasallus feudum alii sub lege fidelitatis concedit.
19. Iam patet, dominium utile in duas particulas diuidi.
20. Vnam retinet uasallus sub specie domini directi; alteram sub specie domini utilis subuasallus capit.
21. Inde uasallus ratione unius, eiusdemque rei est et dominus directus, et dominus utilis.
22. Subuasallus fit quilibet, licet uasalli domino sit potentior.
23. Obiectum subinfeudationis est feudum.
24. Non interest, an feudum sit regale, an non regale. *TITVS* im *Teutschen Lehn-Recht*, c. 15. §. 24.
25. Non interest, an totum feudum, an pars feudi in subfeudum concedatur. 2. f. 9. pp.
26. Subinfeudatio fiat citra fraudem ac praecudicium domini et agnatorum.
27. Inde conditio feudi per subfeudum non potest fieri deterior.
28. In dubio subfeudum iisdem legibus, quibus feudum, censetur datum.
29. Subfeudo constituto, uasallus obligatur ad fidem et seruitia.
30. Seruitia debentur domino, proxime inuestienti, seu uasallo subinfeudanti.
31. Fi.

31. Fides et domino superiori, et subinfeudanti debetur.

32. Inde subuafallus dominum superiorem non offendit. 2. f. 55. §. 2..

33. Simili ratione subuafallus omnia iura, uafallis competentia, nanciscitur.

34. Tollitur subfeudum resolutio iure dantis.

35. Porro uafallus de feudo transigit. 2. f. 26. §. si uafallus.

36. Ipse feudum refutat. 2. f. 14.

37. Refutatio, in gratiam domini facta, agnatorum consensum requirit.

38. Refutatio, in gratiam agnati, proxime successuri, facta, nullius consensum desiderat.

39. Refutatio, in gratiam agnati, proxime non successuri, agnatorum; in gratiam extranei facta, et domini et agnatorum potest consensum.

40. Alias successuris datur ius reuocandi. 2. f. 26. §. Titius.

41. Vafallus refutans fidem, non seruitia, debet. 2. f. 28.

42. Dantur casus, in quibus refutans de nouo in feudum refutatum succedit.

43. Refutatio cessat uariis ex causis.

44. Vafallus feudum non alienat. 1. f. 13. 2. f. 44. *Ius feud. Sax. art. 69. Ius feud Alem. c. 26.*

45. Alie-

45. Alienatio sumitur in sensu generali.

2. f. 55. pr.

46. Inde uasallus feudum non uendit, non donat, 2. f. 9. §. 1. non permutat, non in emphyteusin, uel in solutum, uel in dotem 2. f. 9. §. 1. concedit.

47. Obiectum alienationis prohibitum est feudum.

48. Inde fructus feudi huc non pertinent.

49. Licita est feudi alienatio, si feudum in specie hac lege fuerit datum, ut absque speciali consensu possit alienari.

50. Licita est feudi alienatio, si consensus domini, ac in feudo nouo consensus simultanee inuestitorum; in antiquo consensus agnatorum succedentium adsit.

51. Inde optimum erit, ut uasallus, nouum acquiratur, simultanee inuestitos hac lege recipiat, si alienationem feudi prohibere nolint.

52. Consensus agnatorum plerumque, data certa pecuniae summa, elicitur.

53. Non interest, an consensus sit expressus, an tacitus.

54. Inde agnatus, contractui alienationis subscribens, non auditur.

55. Vnius consensus reliquis, non consentientibus, non nocet.

56. Alienatio feudi, citra consensum domini

H

mini

mini et agnatorum facta, est ipso iure nulla.

57. Vafallus feudo priuatur. 2. f. 24. 2. f. 55.

58. Exceptio est, si probabilis fuerit uafalli error.

59. Hunc uafallus non raro iuramento confirmat.

60. Dubitans, an res sit feudalis, an allodialis, feudo non priuatur.

61. Similiter cessat poena amissionis feudi, si alienatio sub conditione impetrandi consensus domini fuerit facta.

62. Amissum feudum dominus uindicat, illudque, pro ratione circumstantiarum, uel ad tempus, uel in perpetuum retinet. 2. f. 44.

63. Agnati circa feudum antiquum alienatum uel iure protimiseos, uel iure retractus, uel reuocandi iure utuntur.

64. Vi iuris protimiseos agnatus alienationem, nondum factam, impedit, et possessorem cogit, ut sibi res emenda tradatur. 2. f. 3. §. 1.

65. Vi iuris retractus agnatus perfectam uenditionem rescindit, feudumque alienatum retrahit. 2. f. 26. §. Titius.

66. Vtrumque ius agnatis proximioribus competit. l. c.

67. Imo nec filiis utrumque ius denegatur.

68. Iu

68. Iure protimiseos, uel retractus usufrusidem pretium, quod extraneus soluit, offert. 2. f. 3. §. 1. 2. f. 26. §. Titius.

69. Inde utrumque ius in iis saltem negotiis locum inuenit, in quibus pretium interuenit.

70. His positis, ius retractus et protimiseos in donatione, in permutatione, in subinfeudatione, saluo reuocandi iure, cessat.

71. Tempus, intra quod ius retractus exerceatur, est annale. 2. f. 26. §. Titius.

72. Nec interest, an alienatio in agnatum remotiorem, an in extraneum sit facta. HARTM. PISTOR. L. 2. qu. 12. n. 22.

73. Cursus annalis spatii incipit a tempore scientiae. 2. f. 26. §. Titius.

74. Scientia sit uera et certa. l. 76. ff. de R. I.

75. Vi iuris reuocandi agnati feudum, ad ipsos deuolutum, reuocant. 2. f. 26. §. Titius.

76. Competit ius reuocandi illis, qui proxime succedunt.

77. Filii feudum, a patre alienatum, non reuocant. 1. f. 18.

78. Successio sit actu deuoluta.

79. Inde, uiuo alienante, non fit reuocatio. 2. f. 26. §. Titius.

80. Reuocatio feudi fit citra ullam pretii solutionem. l. c.

81. Tempus, intra quod ius reuocandi exerceatur, est 30. annorum.

H 2

82. Cur-

82. Cursus tricenarii spatii incipit a tempore delatae successione. *STRUV. Syn. Iur. Feud. c. 13. §. 18.*

83. Cessat ius reuocandi, si agnati fiant defuncti uasalli heredes.

84. In Saxon. El. resaliter sese habet. *Edict. Torgau. Tit. welchergestalt die Agnaten §. Es sollen auch.*

85. Data uni, alteriue agnato propter illorum consensum pecunia, si alienatio sit nulla, repetitur. *l. 1. §. 1. et 2. ff. de cond. sine caus.*

86. Emtor, in b. f. constitutus, pretium per actionem ex emto a uendente repetit. *2. f. 55. pr.*

87. Emtor, in m. f. constitutus, pretium amittit. *2. f. 52. pr.*

88. Scriba, qui instrumentum alienationis sciens conscribit, praeter amissionem officii, cum infamiae periculo manum amittit. *2. f. 55. pr.*

89. Hodie Notarius poena arbitraria coercetur. *Ord. Maximil. de Notariis.*

90. Oppignoratio est uia ad alienandum

91. Inde uasallus feudum non oppignorat. *2. f. 8. §. 2. f. 55. pr.*

92. Iam patet, feuda sub generali hypotheca non contineri. *arg. 2. f. 26. §. in generali.*

93. Elucescit, tacitas hypothecas circa feudan non attendi. *CARPZOV. P. II. consuet. 46. def. 33.*

94. Op

94. Oppignoratio feudi ualet, si dominus et agnati consentiant.

95. Inde hypotheca feudalis non a die contracti debiti; sed a die impetrati consensus uires suas capit. *Ill. Dn. LEYSERVS ad Pand. Sp. 231. m. 4.*

96. Debitor consensum petit.

97. Non interest, an consensus sit expressus, an tacitus.

98. Sola confirmatio contractus, a domino facta, consensum in hypothecam non inuoluit.

99. Silentium agnatorum non infert consensum. *c. 44. de reg. iur. in 610.*

100. Inde citatus a domino ad declarandum, utrum in alienationem consentire uelit, nec ne, si neque compareat, neque alienationi contradicat, non habetur pro consentiente. *Horn. Jurispr. feud. c. 20. §. 14.*

101. His positis, optimum erit, si agnatus sub comminatione, qua in casu contumaciae pro consentiente habeatur, citetur.

102. Consensus strictissimam recipit interpretationem.

103. Inde consensus, in alienationem datus, non pertinet ad oppignoracionem.

104. Inde consensus, intuitu sortis datus, non pertinet ad usuras.

105. Inde consensus, ad tempus certum

H 3

da-

datus, ultra tempus non prorogatur.

106. Inde consensus, in certam personam datus, non extenditur ad aliam.

107. Mentione certae personae haud facta, hypotheca absque nouo domini consensu alteri cedi potest. *Ill. Dn. LEYSERVS ad Pand. Sp. 232. m. 6.*

108. Secus est in Saxonia Electorali per *V. Proc. Ord. tit. 46. §. 7. et Decif. 28.*

109. Hypotheca domini consensu munita, dominus, feudo ad ipsum deuoluto, uel distractionem pignoris concedit, uel debita soluit.

110. Extendo assertum, licet consensui clausula: *saluo iure meo*, fuerit adiecta. *Conf. Sam. STRYKII diff. de saluo iure Principis.*

111. Restringo assertum, si modo pure dominus consenserit.

112. Hypotheca agnatorum consensu firmata, agnati debitum soluunt.

113. Haec ita, si domini consensus insimul subsit.

114. Hoc deficiente, agnati non obligantur, nisi ad solutionem debiti se adstrinxerint. *CARPZOV. P. II. const. 46. def. 10.*

115. Hypotheca citra domini et agnatorum consensum data, uasallus feudo non priuatur.

116. Dominus tamen, pariter ac agnati, uel simultanee inuestiti ex illa hypothecae constitutione haud obligantur.

117. Suc

117. Successor potius feudalis feudum op-
pignoratam a creditoribus vindicat. *III. Dn.*
LEYSERVS Sp. 229. m. 5.

118. Sola obligatio penes uasallum, ipsius-
que heredes relidet.

119. Hi tamen a successore feudali ad feu-
dum a nexu pignoris liberandum non com-
pelluntur. *ID. l. c.*

120. Non errabo, si ex iis, quae adduxi,
concludam, uasallum conditionem feudi
meliolem quidem, non uero deteriolem fa-
cere posse.

121. Hucusque dicta non incommode
ad feuda Imperii applicantur.

C A P. XVIII.

DE

ONERIBVS FEVDI.

I.

Heres aes alienum defuncti uasalli soluit.
2. Inde filius debitis ipsius patris fa-
tisfacit.

3. Dantur casus, in quibus filius ad solu-
da patris debita non obligatur.

4. Agnati, iure proprio in feudum succe-
dentes, creditoribus uasalli non respondent.

5. Alia tamen sunt onera hereditaria, Erb-
Schulden; alia sunt onera feudi, Lehnschul-
den.

6. Illa solum heredem allodialem grauant.

H 4

7. Per-

7. Pertinent huc impensae, in fructus factae, debitum, propter seruitia contractum, sumtus studiorum, pretium, quo feudum est emptum, residuum pretii, quod uasallus emptor uenditori debet, et alia.

8. Haec dominum et agnatos stringunt.

9. Eadem uel simpliciter, uel in subsidium ex feudo praestantur.

10. Ad primam classem pertinet debitum, in feudi utilitatem contractum. 2. f. 28. §. si uasallus.

11. Creditor uersionem in rem probat.

12. Spectat huc dotalitium.

13. Ad alteram classem refero dotationem filiarum.

14. Idem iuris est circa educationem filiarum.

15. Alimenta inhabilibus ex feudo in subsidium debentur. 1. f. 6. §. minus.

16. Legitima ex feudo in subsidium praestatur.

17. Eadem per se debetur, si pater feudum emerit, magnamque patrimonii partem in id impenderit. Ill. Dn. LEYSERVS Sp. 91. m. 10.

18. Idem iuris est, si pater bona allodialia in feudalia immutauerit. ID. l. c. m. 12.

19. Expensae, in funus defuncti uasalli erogatae, huc referuntur.

20. De-

20. Debitum, consensu munitum, est onus feudi subsidiarium. *Conf. STRYK. diff. de obligatione feudi, consensu domini munita.*

21. Inde allodiales heredes solum debitum a successore feudali non repetunt.

22. Successor potius feudalis solum debitum ab herede allodiali repetit.

23. Haec in Saxon. El. iuxta *Const. 46. P. II.* aliter sese habent.

24. Debita, ad solutionem onerum feudaliū contracta, naturam illorum onerum, pro quibus contrahuntur, induunt. *CARPZOV. P. II. const. 46. def. 29.*

25. Hinc ista debita, pro re nata, uel simpliciter, uel in subsidium ex feudo praestantur.

26. Onera feudi in subsidium ex bonis allodialibus praestantur, si feudum non sufficiat.

C A P. XIX.

DE

ACTIONIBVS FEVDALIBVS.

I.

IVra, intuitu feudorum competentia, legitimis uindicantur actionibus.

2. Actiones uel intuitu personae, uel intuitu rerum competunt.

H 5

3. In-

3. Intuitu personae dantur actiones praeiudiciales.

4. Hae locum inueniunt, si de statu domini, aut uasalli controuerlia moueatur.
Conf. BERGERI diff. de usu actionum c. 1. §. 2.

5. Intuitu rerum competunt remedia petitoria et possessoria.

6. Petitoria complectuntur actiones reales et personales.

7. Ad reales pertinet rei uindicatio.

8. Inde ipse dominus rem feudalem contra quemcunque possessorem uindicat.
arg. 2. f. 8. pr.

9. Idem iuris habet uasallus. *2. f. 8. pr.*

10. Si uasallus cum domino concurrat, ille huic praefertur.

11. Cum rei uindicatione Publiciana actio non male combinatur.

12. Ne dicam de actione reuocatoria.

13. Intuitu iurium uindicandorum, uel libertatis feudi, contra iniustos usurpatores asserendae, obtinet actio confessoria et negatoria.

14. Hereditatis petitio obtinet.

15. Datur actio hypothecaria.

16. Omnes fere actiones personales in feudis locum inueniunt.

17. In primis notatur actio personalis ex contractu feudali, qua dominus ad fidelitatem praestandam, uasallus ad rem tradendam agit.

18. Taceo

18. Taceo actionem de in rem uerso, iudicium negotiorum gestorum, conditionem ex moribus, aliasque actiones.

19. Remedia possessoria uel obtinendam, uel retinendam, uel recuperandam feudi possessionem concernunt.

20. Istius exemplum est interdictum quorum bonorum, quo ad possessionem feudi, iure successionis deuoluti, obtinendam agitur.

21. Praetereo remedium *l. fin. C. de edict. D. Hadriani toll.*

22. Illius exemplum est interdictum uti possidetis, uel utrubi, quibus ad quietam feudi possessionem retinendam agitur.

23. Huius exemplum est interdictum unde ui, quo ad possessionem feudi, ui amissam, recuperandam agitur.

24. Reliqua ex communibus iuris civilis principiis supplebuntur. *Conf. STRAVSSII diff. de actionibus feudalibus.*

25. Addo, famosas actiones contra dominum institui non posse.

C A P. XX.

DE

IUDICIO ET PROCESSV FEVDALI.

I.

Actiones feudales mouentur coram
iud.

iudicio feudali per processum feudalem.

2. Iudicium feudale, *Lehn-Gericht*, *Mann-Gericht*, est legitima causae feudalis controuersae disceptatio, coram iudice competente facta.

3. Personae iudicii feudalis principales sunt iudex, actor et reus.

4. Iudex sit competens.

5. Talis est dominus feudalis. 2. f. 55. §. 2.

6. Inde foemina quoque et rusticus potest esse iudex.

7. Dominus feudalis solus iudicat, si lis sit inter conuasallos. 1. c.

8. Nec interest, an feuda sint regalia, an non regalia.

9. Ea, quae ex 1. f. 18. allegantur, parum, uel nihil praesidii afferunt.

10. Lite inter dominum et uasallum mota, pares curiae iudicant. 2. f. 16. 2. f. 55. §. 2.

11. Pares curiae sunt eiusdem curiae uasalli, *Conf. GVNDLINGIVM in Gundlingianis P. 42. p. 114. CAROLVM du FRESNE in glossario ad scriptores mediae et infimae latinitatis, uoc: PARES.*

12. Inde, si dominus in suis terris plures curias feudales habeat, omnes unius domini uasalli non sunt pares curiae *LVDOVICI Einleitung zum Lehns-Proceß, c. 1. §. 13.*

13. Pares curiae aliis nominibus pares domus, 2. f. 11. pares curtis, 2. f. 2. pares de domo domini 2. f. 26. §. si quibus audiunt.

14. Non interest, an pares curiae sint eiusdem cum litigantibus dignitatis, nec ne.

15. Si plures sint pares curiae, omnes iudicant. 2. f. 16.

16. Secus est, si dominus et uasallus quosdam saltem ex paribus elegerint. l. c.

17. Pares curiae peculiare iuramentum de iustitia fideliter administranda non praestant.

18. Sufficit, iuramentum fidelitatis fuisse praestitum.

19. Inde uasallus, qui fidelitatem domino non iurauit, non admittitur. 2. f. 16.

20. Dantur casus, in quibus iudex loci ordinarius causas feudales decedit.

21. In Imperio, lite inter Imperatorem, qua talem, et uasallum mota, Ordinum Imperii est arbitrium. *Spec. Suet. c. 23.*

22. Lite inter Imperatorem, qua uasallum, et conuasallum mota, Iudicium Aulicum solet causam cognoscere. *HENNIG. de S. Pot. I. circa secul.*

23. Expediit, iudices delegatos constituere.

24. Lite inter uasallos Imperii mota, iudicat Imperator. *Ord. Cam. P. 2. tit. 7.*

25. Hic

25. Hic olim Status Imperii, ceu pares curiae, adhibuit. *Conf. CASSANDRUM THVCELIVM in Electus Iuris Publici Curiosus c. 1.*

26. Inde iudicium Principum, das Fürsten-Recht.

27. Post tempora Maximiliani I. potestatem de causis feudalibus cognoscendi iudicium Aulicum exercuit. *CONRING. de iudiciis Reip. German.*

28. Eo ipso ius Principum non censetur extinctum. *THOMAS. in not. ad Monzamb. c. 5. §. 15.*

29. Praxis tamen pro Iudicio Aulico, eiusque solitaria in causis feudalibus iurisdictione militat.

30. Camera Imperialis in causis regali-um feudorum non iudicat. *Ord. Cam. P. 2. tit. 7.*

31. Nec interest, an lis sit de toto feudo, an de parte feudi.

32. Parum quoque refert, an lis de possessione feudi, an uero de proprietate, moueatur.

33. Tempore interregni iudicant Vicarii Imperii.

34. Ius Pontificis in causis feudalibus non agnoscitur.

35. Causae mediatorum uasallorum coram iudicio Principis feudali regulariter uentilantur.

36. Dan-

36. Dantur casus, in quibus uasalli Statuum ad suprema Imperii tribunalia euocantur.

37. Dicta comprobant, exiguum fere hodiernis temporibus esse iudicii parium curiae usum.

38. Vniuersalis tamen desuetudo non probatur.

39. Recentissimum illius iudicii usum docet FABRI *Staats-Canzley*, P. 58. p. 387.

40. Litigantes iudicium feudale agnoscunt, siue sint clerici, siue laici. c. 6. X. de for. comp.

41. Inde principes ecclesiastici ratione feudorum, ab Imperatore concessorum, feudali Imperatoris iurisdictioni subsunt.

42. Litigantes feudale forum agnoscunt, licet fori priuilegio gaudeant.

43. Obiectum iudicii feudalis sunt causae feudales.

44. Causae feudales sunt controuersiae, inter personas, feudalem qualitatem habentes, de re, aut facto feudali motae.

45. Inde, qualitate feudali negata, uel omnino deficiente, cessat hoc iudicium.

46. Forma iudicii feudalis consistit in legitima causae feudalis controuersiae disceptatione.

47. Inde processus feudalis.

48. Processus feudalis est legitimus causam feudalem in iudicio tractandi ordo.

49. Or-

49. Ordo processus feudalis conuenit fere cum iure communi.
50. Inde, nisi specialia doceantur, inhaeremus iuri communi.
51. Ius Saxonicum uaria processus feudalis singularia narrat. *Lehn-Recht art. 65. et 68. Conf. BERLICHIVM P. I. concl. 62.*
52. Diuus Augustus, Elector Saxonicus, eundem procedendi ordinem sustulit, et loco illius processum iuris communis substituit. *P. I. Const. XXVII.*
53. Processus feudalis, uariis absoluitur capitibus.
54. Sc. acturus libellum iudici offert.
55. Oblato libello, reus citatur.
56. Citatio iuxta 2. f. 22. pr. et 2. f. 24. §. 1. ter fieri debet.
57. Idem *Ius feud. Alem. c. 116. et Ius f. Sax. art. 65.* inculcant.
58. Quaelibet citatio certum interuallum temporis, spatium sc. septem, uel decem dierum, continet. 2. f. 22.
59. Notabilis est Imperatoris Sigismundi cum Electoribus ac Principibus, ratione citationum, facta conuentio. *Cassand. Thucelius in elect. Iur. publ. curios. c. 1.*
60. Hodie regularis citandi modus seruatur.
61. Citatio in praedio feudali insinuat, licet uasallus alibi suum habeat domicili

cilium. BERGER. *Elect. Discept. For. P.*
II. p. 1715.

62. Citato non conparente, alter in possessionem mittitur. *2. f. 22.*

63. Nec interest, an dominus, an uassallus sit contumax.

64. Contumax intra annale spatium facultatem feudum recuperandi habet. *l. c.*

65. Annali spatio citra factam compositionem elapso, feudum amittitur. *l. c.*

66. Reus litem contestatur.

67. Litis contestatione affirmatiue, citra ullam exceptionum peremptoriarum mentionem, facta, reus condemnatur.

68. Litis contestatione affirmatiue, additis exceptionibus peremptoriis, facta, reus has probat.

69. Litis contestatione negatiue facta, actor negata probat.

70. Probatio fit per testes.

71. Testes, si de solennitate agatur, sint pares curiae. *1. f. 10. et 11. Ius f. Sax. cap. 12.*

72. Dantur casus, in quibus extranei admittuntur. *1. f. 26. §. 1. 2. f. 2. pr.*

73. Hodie qualitas parium curiae non praecise attenditur.

74. Testes sint masculi, non foeminae. *2. f. 32.*

75. Idem est, quod hodie itidem non attenditur.

76. Te-

76. Testes ad minimum sint duo. 2. f. 2. pr.

77. Circa probationem feloniam numerus quinque testium desideratur. 2. f. 57.

78. Apud Germanos olim in causis arduis numerus septem testium requirebatur. *Ius feud. Sax. c. 13. Ius feud. Alem. c. 27. rubr. ein Gezug mit suben Mannen.*

79. In aliis causis numero trium testium opus erat. *Ius feud. Alem. c. 28. rubr. Drige Gezugen.*

80. Hodie indistincte sufficiunt duo testes, omni exceptione maiores.

81. Vasallus contra dominum testimonium perhibere nequit. 2 f. 33. §. 1.

82. Testium asserta in rotulum rediguntur.

83. Rotulus publicatur.

84. Probatio fit per documenta.

85. Pertinent huc litterae inuestiturae.

86. Hae inter solos paciscentes vim probandi habent.

87. Inde non antiquis, iuxta vulgarem cantilenam, sed recentioribus litteris inuestiturae standum.

88. Vasallus, factam inuestituram per documentum probaturus, tale instrumentum, quod a tribus, uel duobus paribus curiae est subscriptum, producit. 2. f. 2. pr.

89. Ho

89. Hodie illud non attenditur.

90. Probatio fit per iuramentum. 2. f.

33. pr.

91. Is, cui defertur iuramentum, non exigit iuramentum calumniae. 2. f. 33 §. 1.

92. Haec ita, si lis sit inter dominum et uasallum.

93. Secus est, si lis sit inter uasallos.

94. Iuraturus iurat cum duodecim sacramentalibus, seu compurgatoribus. 2. f.

33. pr.

95. Olim magnus erat compurgatorum usus. *can. 24. caus. 17. qu. 4. c. 1. X. de purg. can. Ordin. Cam. P. II. tit. 10. Conf. du FRESNE gloss. ad scriptor. med. et inf. latinis. uoc. iurare.*

96. Hic iurandi modus hodie ab usu recessit.

97. Probationi per duellum, olim adhibitae, non datur locus. 2. f. 39. non est consuetudo.

98. Probatio per ferrum candens, aut aquam feruentem, olim adhibita, *conf. Lehmanns Spenerische Chronick, c. 2. §. 39.* non attenditur.

99. Praesumptiones magnum in causis feudalibus praebent usum.

100. Inde praesumptio pro re allodiali, non feudali; pro feudo proprio, non improprio: pro feudo masculino, non foemi-

minino; pro feudo ex pacto et prouidentia, non hereditario, et sic porro, militat.

101. Reprobatio alteri parti non denegatur.

102. Peracta probatione et reprobatione, partes mutuis positionibus iura deducunt, ac sententiae se submitunt.

103. Sententiam fert iudex competens.

104. Non raro acta ad collegium Iuridicum transmittuntur.

105. Iudex in decidendis causis feudali-
bus pacta contrahentium attendit.

106. Inde recentiores inuestiturae litterae consuluntur.

107. Pactis ipsorum contrahentium deficientibus, recurritur ad ius speciale illius loci, in quo feudum est situm.

108. Inde Imperator circa Vasallorum causas non suae curiae iura, sed speciales cuiusuis loci consuetudines respicit. *Reichs-Hofraths-Ordnung* *tit. 1. §. 15.*

109. Iure prouinciali deficiente, iura Imperii applicantur.

110. His deficientibus, ratio iuris feudalis Longobardici habetur.

111. Tandem ius ciuile, uel canonicum, uel naturale in subsidium uocantur.

112. In primis respicitur probationis gradus.

113. Actore nihil probante, reus statim absoluitur. 2. f. 33. §. 2.

114. Singulare, quod multi hic sibi fingunt, ex iure feudali non probatur.

115. Actore plene probante, reus condemnatur.

116. Actore minus plene probante, pro re nata, uel iuramentum suppletorium, uel purgatorium iniungitur.

117. Sententia publicatur.

118. Publicata sententia intra decendum per appellationem, uel aliud remedium suspensiuum a uiribus rei iudicatae suspenditur.

119. Nullo remedio suspensiuo intra decendum interposito, sententia uires rei iudicatae consequitur.

120. Sententia, rei iudicatae uires nata, executioni mandatur.

121. Ius exequendi competit feudali domino.

122. In Imperio executio non fit ab Imperatore, sed a Ducibus Circularum. *Blum. Proc. Cam. tit. 77. Conf. STRYK. diff. de iure exequendi sententias Imperiales.*

123. Executio fit uel in fructus feudi, uel in substantiam feudi.

124. Ea, quae in Saxon. El. obtinent, N. P. S. O. tit. 40. praescribit.

125. Dominus utitur beneficio competentiae.

126. Reconuentio tum demum locum inuenit, si causa reconuentionis itidem sit feudalis.

127. Simili ratione uasallus in causa feudali coram iudice ordinario non potest reconueniri. *SCHILTER, ad c. 37. iur. feud. Alem. §. 3.*

CAP. XX.

DE

AMISSIONE FEVDI.

I.

Feudum amittitur per feloniam.

2. Felonia est delictum feudale.
3. Committit feloniam tam dominus, quam uasallus. 2. f. 26. §. domino.
4. Inde eadem feloniae capita, quae de uasallis dicuntur, ad dominum applicantur.
5. Saltem effectus feloniae, propter dominorum imperium, saepissime exulat.
6. Vasallus feloniam committit et agendo, et omittendo.
7. Agendo feloniam committitur uel in dominum, uel in extraneum. 2. f. 37.
8. In dominum committitur uel immediate, uel mediate.
9. Immediate, si uasallus dominum occiderit, aut insidias uitae ipsi struxerit. 2. f. 24. §. 2.

10. Im-

10. Immediate, si domino iniurias tam reales, quam uerbales intulerit. *1. f. 5. 2. f. 24. §. 2.*

11. Immediate, si uasallus cum hostibus domini in huius perniciem amicitiam contraxerit. *2. f. 57.*

12. Pertinet huc, si uasallus castellum, suae defensionis commissum, ex dolo, uel magna culpa, hostibus dedat. *arg. l. 3. ff. ad L. Jul. Mai.*

13. Immediate, si dominum accusauerit. *2. f. 24. §. 2.*

14. Dantur casus excepti.

15. Immediate, si credentiam domini scienter manifestauerit. *1. f. 17.*

16. Mediate feloniam in dominum committitur per actus illicitos, circa personas coniunctas, uasallos, aut rem feudalem exercitos.

17. Circa personas coniunctas exercetur actus illicitus, si fidelis dominum cucurbitauerit, i. e. cum uxore domini concubuerit, uel concumbere se exercuerit. *1. f. 5. pr.*

18. Imo omnis generis actus libidinosi prohibentur. *l. c.*

19. Inde nec libidinosum osculum excluditur.

20. Stuprum, uiduae illatum, huc non pertinet; *1. f. 21.* bene tamen stuprum, sponse illatum.

21. Simili ratione delictum feudale oc-

currit, si uasallus cum domini filia, aut cum nepte ex filio, aut cum nupta filio, aut cum nuru domini concubuerit. 1. f. 5. 2. f. 24.

22. Stuprum, forori illatum, huc non aliter pertinet, quam, si eadem adhuc sit in capillo. 2. f. 24. §. 2.

23. Multum uero interest, an uasallus sciuerit, personam, cum qua concumbat, esse unam ex familia domini, an uero hoc ignorauerit.

24. Posteriori casu poena quidem stupri, uel adulterii locum inuenit; non autem poena feloniae.

25. Circa uasallum exercetur actus illicitus, si eundem tradiderit, ut in curia amplius stare non possit. 2. f. 37. pr.

26. Circa rem feudalem exercetur actus illicitus, si uasallus feudum citra domini consensum alienauerit. 2. f. 55. pr.

27. Idem est, si feudum, uel partem feudi dolose neget. 2. f. 26. §. uasallus si et §. uasallus feudum.

28. Idem est, si uasallus feudum inornate tractet. 2. f. 27. §. 7.

29. Pertinet huc nimia in subditos faeuitia, nimiae deteriorationes feudi, alique abusus.

30. In extraneum felonia committitur per occisionem fratris sui. 2. f. 37. pr.

31. Omittendo felonia uariis committitur modis.

32. Pertinet huc omiffa renouationis inuestiturae petitio, 2. f. 24. pr. denegatio fidei et feruitorum, 2. f. 26. §. licet uafallus 2. f. 28. §. ad haec omiffa domini captiui redemptio, 2. f. 24. §. 2. neglecta damni, domino imminetis, reuelatio, l. c. desertio domini in acie. 1. f. 5. pr.

33. Taceo alias feloniae species.

34. Addo, citra legem nouas non esse fingendas.

35. Inde omiffio folius tituli honoris, incestus, a uafallo commissus, legitima contradictio, ipsi domino facta, non sunt iustae feloniae species. Ill. Dn. LEYSERVS ad Pand. Spec. 50. m. 12. 13. et 14.

36. Inde a causis exheredationis ad causas feloniae argumentari non licebit.

37. Non obstant, quae 2. f. 24. §. 2. habentur.

38. Eo ipfo maiores, uel similes causae non eliminantur. 2. f. 24. §. 2.

39. Sic fratricidium, 2. f. 37. pr. expressum, applico ad parricidium.

40. Allegata causa, in thesi certa, in hypothesis incerta, probatur.

41. Inde opus est causae cognitione. 1. f. 21. pr.

42. Defensio non denegatur uafallo.

43. Causae cognitionem sequitur sententia. 1. f. 22. pr.

44. Haec uel absolutionem, uel condemnationem infert.

45. Condemnatio feudi amissionem inuoluit.

46. Alia, praeter feudi amissionem, poena feloniae non inest. *Clement. 2. de sent. et re iud. EYBEN. Elect. Feud. c. 12. §. 2.*

47. Amissio feudi non fit ipso iure. 1. f. 21. pr. 1. f. 22. pr.

48. Inde sententia non est declaratoria, sed priuatoria. *STRVV. Synt. Jur. Feud. c. 15. §. 11. n. 3.*

49. Vfus huius distinctionis non quidem intuitu restitutionis fructuum perceptorum, attamen intuitu remissionis feloniae apparet.

50. Datur casus, in quo amissio feudi, propter feloniam, fit ipso iure. 2. f. 55. pr.

51. Amissum per feloniam feudum, si sit nouum, irreuocabiliter ad dominum transit. 2. f. 24. §. 3.

52. Liberis nocet felonia patris. 2. f. 31.

53. Agnati nullum ius quaesitum habent.

54. Sin feudum sit antiquum, uidendum, an felonia sit in dominum, an in extraneum sit commissa. 2. f. 24. §. 3.

55. Priori casu feudum ad dominum redit, liberis simpliciter exclusis; agnatis uero tam diu exclusis, quam diu successio non dum

dum actualiter ad ipsos est deuoluta. 2. f. 37.

56. Posteriori casu, agnati, exclusis filiis, feudum statim capiunt. l. c.

57. In Imperio, felonia in Caesarem a uasallo mediato commissa, feudum principi, in cuius territorio illud situm est, cedit. *Capit. CAROLI VI. art 20.*

58. Poena feloniae cessat propter remissionem. 2 f. 31.

59. Ea fit uel expresse, uel tacite.

60. Remissio circa feudum nouum fit inuitis agnatis.

61. Circa feudum antiquum uidendum, an felonia in dominum, an in extraneum sit commissa.

62. Priori casu remissio fit inuitis agnatis.

63. Posteriori casu remissio fit inuitis agnatis ante sententiam priuatoriam, non post eandem.

64. Amittitur feudum interitu rei.

65. Interitus rei fit totalis.

66. Inde, fundo in feudum dato, feudum, combustis aedibus, non tollitur.

67. Inde, aedibus in feudum datis, qualitas feudalis cum aedibus collapsis non interit.

68. Amittitur feudum aapertura, per mortem uasalli facta.

69. Fiscus excluditur.

70. Amit-

70. Amittitur feudum refutatione, uel a domino, uel a uasallo facta.

71. Amittitur feudum praescriptione.

72. Amittitur feudum lapsu temporis.

73. Amittitur feudum resolutio iure dantis.

74. Feudo citra culpam uasalli amisso, fructus a tempore amissionis restituuntur.


75. Feudo culpa uasalli amisso, fructus a tempore commissae feloniae restituuntur.

76. Sumtus, in perpetuam feudi utilitatem facti, repetuntur.

77. Nec interest, an feudum culpa, an citra culpam uasalli fuerit amissum.

Soli DEO Gloria.





REPETITIO CAPITVM

Cap. I.	
De Iurisprudencia feudali	p. 1.
Cap. II.	
De natura ac indole feudi	p. 4.
Cap. III.	
De Origine feudi et iuris feudalis	p. 8.
Cap. IV.	
De diuisione feudi	p. 16.
Cap. V.	
De subiecto feudi actiuo	p. 35.
Cap. VI.	
De subiecto feudi passiuo	p. 39.
Cap. VII.	

REPETITIO CAPITVM

- Cap. VII.
De nuptiis personarum illustrium p. 43.
- Cap. VIII.
De tutela feudali p. 51.
- Cap. IX.
De obiecto feudi. p. 56.
- Cap. X.
De contractu feudali p. 62.
- Cap. XI.
De traditione feudali p. 66.
- Cap. XII.
De praescriptione feudali p. 78.
- Cap. XIII.
De successione pactitia p. 82.
- Cap. XIV.
De successione testamentaria p. 84.
- Cap. XV.

REPETITIO CAPITVM

Cap. XV.

De successione legitima p. 87.

Cap. XVI.

De forma feudi p. 101.

Cap. XVII.

De iuribus domini et uasalli p. 109.

Cap. XVIII.

De oneribus feudi p. 119.

Cap. XIX.

De Actionibus feudalibus p. 121.

Cap. XX.


De iudicio et processu feudali p. 123.

Cap. XXI.

De amissione feudi p. 134.



	Cap. XV	De successione legataria
p. 87	Cap. XVI	De forma fundi
p. 101	Cap. XVII	De iure hereditatis et natali
p. 109	Cap. XVIII	De oneribus fundi
p. 121	Cap. XIX	De actionibus fundi
p. 131	Cap. XX	De iure et modo fundi
p. 141	Cap. XXI	De actionibus fundi



D
D
D
D
D
D
D
D

mi




Kl 373


ULB Halle

3


006 671 462







HENRICI BROKES
 I. V. D.
DOCTRINA
IVRIS FEVDALIS
 EX IPSIS FONTIBVS
 DESVMTA
 AC
 SVCCINCTIS POSITIONIBVS
 AD
 HODIERNVM IMPERII VSVM
 ACCOMMODATA.



VITEMBERGAE
 IMPENSIS ET LITERIS SCHLOMACHIANIS.
 M D CC XXXIV,

